


KR. SVEUČ. BIBLIOTEKA  
U ZAGREBU.

22141

157. H. 23.





Thomae Dolliner,

J. U. D. Juris canonici et civilis Romani in C. R. Universitate Vindobonensi Professoris p. o. Assessoris Commissionis aulicæ legibus justi rogandis, Societatisque scientiarum Bohemicæ membri etc. etc.

Dissertationes

De Jure Personarum  
Ecclesiasticarum,

Generatim qua talium sine respectu ad beneficia  
et Ecclesiae officia consideratarum,

item de

Erectione et Innovatione Beneficiorum,  
nec non

De civili et militari animarum cura  
in Ditionibus Austriacis.

---

Latinitate donavit

Michael Juranic.

---

V i e n n a e , 1824.

In officina libraria Viduae Equitis  
J. G. a Mösl e, Graben Nr. 1144.

537059



22. V. 1984 D 295

398400295

---

## Prologus Authoris ad secundam editionem;

---

Liber iste quatuor ante annos (1813) publicam in lucem missus erat tanquam initium et specimen majoris, per alios Authoris labores interrupti operis, quod universum in Austria vigens jus ecclesiasticum, juxta systema Rechbergeriani Enchiridii explanatum, complexurum erat. Exemplaria ejusdem distracta sunt, quin Author variis impeditus obstatulis hactenus de ejus continuatione cogitare potuisse. Saepius motae de libro in bibliopoliis quaestiones secundam editionem necessariam reddiderunt. Haec multis partim antiquioribus, partim recentioribus aucta constitutionibus adornatur (1817). Utinam quid ad profundiorem patrii juris ecclesiastici cognitionem conduceret! Ubi nostrae domesticae leges recitandae erant, ipsa earumdem verba, quan-

tum poluit esse, retenta sunt. Id quidem stylum va-  
rium, nonnunquam fusum, et difficilem, saepe  
etiam antiquatum reddit; at id emolumenti adfert,  
quod quisque sumptuosis legum collectionibus  
carere, et tamen obvenientes casus, sine periculo  
in verba aut spiritum legum peccandi, decidere  
possit.

---

---

# I n d e x.

---

## A.

- §. 1. Notio personae ecclesiasticae.
- §. 2. Objectum dissertationis.
- §. 3. Divisio ejusdem.

## S e c t i o I.

- §. 4. Objecta hujus Sectionis.
- §. 5. Scientifica cultura alumnorum per studia theologica.
- §. 6. Privata instituta theologico - litteraria.
- §. 7. Modus constituendi in his professores.
- §. 8. Normae pro professoribus in privatis theol. institutis litt.
- §. 9. Examina in privatis theol. institutis.
- §. 10. Religioso - moralis institutio in Seminariis.
- §. 11. Fundus alumnatus.
- §. 12. Impensio et administratio ejusdem.
- §. 13. Stipendia pro theologis.
- §. 14. Aliae dispositiones ad augendum clericorum numerum.
- §. 15. Irregularitates.
- §. 16. Ex defectu.
- §. 17. Ex delicto.
- §. 18. Cessatio irregularitatis.
- §. 19. Titulus ordinationis.
- §. 20. Titulus mensae ex fundo religionis.
- §. 21. Titulus mensae a privatis.
- §. 22. Collator ordinum.
- §. 23. Quis proprius quoad ordines Episcopus.

- §. 24. Literas dimissoriae.
- §. 25. Receptio extraneorum in dioecesim,
- §. 26. Praescriptum pro ordinatione scrutinum.
- §. 27. Tempus ordinationis.
- §. 28. Locus et
- §. 29. Effectus ordinationis.

## S e c t i o II.

- §. 30. Obligationes clericorum in genere.
- §. 31. Probitas morum.
- §. 32. Coelibatus.
- §. 33. Modestia externa.
- §. 34. Prohibitae clero occupationes.
- §. 35. Specialiter interventione in testamentis alienis conficiendis vel testimonio firmandis.
- §. 36. Obligatio ad curam animarum.
- §. 37. Officium precationis.
- §. 38. Præcipua jura cleri.
- §. 39. Privilegium fori clericalis.
- §. 40. In civilibus contentiosis et non contentiosis causis.
- §. 41. In delictis civilibus.
- §. 42. In delictis ecclesiasticis.
- §. 43. In delictis mixtis.
- §. 44. Modesta cleri tractatio ex parte sec. magistratum.
- §. 45. Exemptio a quibusdam servitiiis.
- §. 46. Inviolabilitas personalis.
- §. 47. Beneficium competentiae.

## S e c t i o III.

- §. 48. Divisio.
- §. 49. Origo cleri regularis.
- §. 50. Fata regularium in Austria.
- §. 51. Notio cleri regularis.
- §. 52. Statuta ordinum.
- §. 53. Diversæ ordinum relig. species.
- §. 54. Receptio candidatorum.
- §. 55. Novitiatus.
- §. 56. Libertas egressus.
- §. 57. Pro receptione nihil exigere licet.

- §. 58. Professio religiosa. Requisita ejusdem.
- §. 59. Aetas legitima.
- §. 60. Spontanea emissio et conveniens acceptatio.
- §. 61. Per professionem jura tertii non sunt violanda.
- §. 62. Effectus professionis generatim.
- §. 63. Obligationes religiosorum ex votis singulis.
- §. 64. Praecepta de disciplina monastica.
- §. 65. Fuga ex claustrō, carcer et conclave correctionis.
- §. 66. Cultus divinus et cura animarum in monasticis ecclesiis, ac in parochiis claustrō incorporatis.
- §. 67. Obligationes Religiosorum ad erudiendam publice juventutem.
- §. 68. Auxilium in cura animarum per Religiosos in beneficiis secularibus praestandum.
- §. 69. Jura promotorum ante 25. Martii 1802 ad curam animarum Religiosorum.
- §. 70. Quatenus expositis iu cura animarum Religiosis testari licet, et alio titulo succedi possit.
- §. 71. Ordinum Superiorum, quis ad id munus inhabilis.
- §. 72. Electio Superiorum ordinis.
- §. 73. Sublatio omnis nexus monasteriorum Anstriacorum cum exteris, horumque Superioribus.
- §. 74. Sublatio exemptionum, et limitatio aliorum privilegiorum Religiosis competentium.
- §. 75. Potestas Superioris religiosi, speciatim disciplinaris.
- §. 76. Obligationes Superiorum.
- §. 77. Potestas oeconomica. Ejusdem per legem amortizationis in acquirendis bonis immobilibus limitatio.
- §. 78. Limitatio in acquirendis rebus mobilibus.
- §. 79. Exceptiones ab haec limitatione.
- §. 80. Specialis limitatio acquisitionis per candidatos titulo dotis.
- §. 81. Exceptio respectu dotis, et vitalitatis.
- §. 82. Restrictio in administrandis bonis.
- §. 83. Imprimis in alienandis.
- §. 84. Corollaria ex lege prohibente alienationem deducta.
- §. 85. Limitatio respectu reinfeudationis, ac proventuum residuorum.
- §. 86. Inspecio administrationis honorum coenobiis et monasteriis propriorum.
- §. 87. Modus procedendi respectu monasterii ultra modum ob-

aerati, si tantum fundationalia, consequenter inalienabilia  
adsint bona.

- §. 88. Egressus Religiosi ex ordine.
- §. 89. Jura secularizati Religiosi.
- §. 90. Sublatio monasteriorum.
- §. 91. Jura Religiosorum sublatorum monasteriorum.
- §. 92. Ordo equitum Teutonicus.
- §. 93. Ordo Melitensis.
- §. 94. Moniales.

## B.

### Sectio I.

- §. 1. Notio ecclesiastici officii et beneficii.
- §. 2. Essentialia beneficij requisita.
- §. 3. Origo beneficiorum.
- §. 4. Subdivisione beneficiorum.
- §. 5. Obligationes beneficiatorum.
- §. 6. Interdicta beneficiorum pluralitas.
- §. 7. Erectio beneficiorum.
- §. 8. Innovatio beneficiorum. Diversi ejus modi.
- §. 9. Unio beneficiorum.
- §. 10. Requisita unionis.
- §. 11. Incorporatio beneficiorum.
- §. 12. Divisio beneficiorum.
- §. 13. Oneratio.
- §. 14. Dismembratio.
- §. 15. Retentio. Intercalares proventus.
- §. 16. Suppressio.

### Sectio II.

- §. 17. Varii respectus isthic habendi.
- §. 18. Antiquae animarum curatorum stationes.
- §. 19. Novae parochiarum ordinationes. Regulae pro parochiis ruralibus.
- §. 20. Regulae pro urbanis parochiis.
- §. 21. Novi parochi, et locales capellani.
- §. 22. Cooperatores. Beneficiati.

- §. 23. Sustentatio animarum curatorum in novis stationibus.
- §. 24. Eorum obligatio celebrandi missas pro fundo religionis.
- §. 25. Nova regularium parochiarum ordinatio.
- §. 26. Nova decanatum ordinatio.
- §. 27. Media defectui Sacerdotum occurrenti.
- §. 28. Reductio superfluarum novarum curatiarum.

### S e c t i o III.

- §. 29. Species curatorum militarium variae.
- §. 30. Origo vicarii Apostolici castrensis.
- §. 31. Nominatio, et facultates ejusdem.
- §. 32. Jura et obligationes ejusdem.
- §. 33. Jura et obligationes superiorum castrensi generatim.
- §. 34. Speciatim quoad proclaimandum matrimonium, dispensanda agonizantibus Sacra menta, quoad funera, baptismum, copulationes et relate ad stipendia missarum.
- §. 35. Imprimis quoad scribenda parochialia protocolla.
- §. 36. Salarium, et remuneratio superiorum campestrium.
- §. 37. Proprietates futurorum capellanorum castrensi.
- §. 38. Succrementum, et institutio capellanorum campestri.
- §. 39. Salarium capellanorum castrensi.
- §. 40. Obligationes capellanorum castrensi.
- §. 41. Speciatim in conscribendis parochialibus protocollis.
- §. 42. Quomodo capellani castrenses de susceptis per civilem clerum relate ad militares personas actibus parochialibus certiores reddantur.
- §. 43. Jus capellanorum castrensi de baptismo, matrimonio et morte testimonia scripta dandi.
- §. 44. Charta signata pro baptismi, matrimonii et mortis testimoniis quoad militares personas.
- §. 45. Jus stolae capellanorum castrensi.
- §. 46. Alia capellanorum castrensi jura.
- §. 47. Jus concurrendi pro beneficiis parochialibus.
- §. 48. Remunerations capellanorum castrensi.
- §. 49. Gravamina contra capellanos castrenses, dimissio, et abitus eorum.
- §. 50. Capellani praesidiarii.
- §. 51. Capellani nosocomiorum.
- §. 52. Historia sensim stabilitae relations inter civilem et militarem clerum quoad jurisdictionem.


- §. 53. Generalis norma circa relationem, quae nunc inter civilem et militarem clerum quoad jurisdictionem subsistit.
  - §. 54. Index pertinentium ad militiam vagam personarum.
  - §. 55. Index pertinentium ad militiam stabilem personarum.
  - §. 56. Normae pro juribus stolaribus.
  - §. 57. Regula de proclamatione matrimonii militarium personarum.
  - §. 58. Regula de usu ecclesiae civilis, et ecclesiasticorum requistorum in functionibus sacris militaris cleri.
  - §. 59. Notitia susceptorum, a civili clero quoad militares personas, actuum parochialium Superiori campestri impertienda.
-

A.

D e J u r e

**Personarum ecclesiasticarum.**

---



## Introductio.

### §. 1.

#### *Notio personae ecclesiasticae.*

**N**omine personarum ecclesiasticarum sensu latissimo omnia ecclesiae membra tam clericorum quam laici intelliguntur. Inter laicos sunt nonnulli, qui praeter generalia cuiilibet ecclesiae membro convenientia jura et incumbentes obligationes adhuc singularia relate ad ecclesiam habent jura. Huc pertinent patroni, advocati, curatores (vitrieci), aeditui etc. ecclesiarum. Sensu autem minus lato et proprio ecclesiasticarum personarum nomine clericorum in genere veniunt. Sensu strictissimo personae ecclesiasticae sunt tantum illi clericorum, qui officium quodpiam ecclesiasticum obeunt, aut beneficium tenent.

### §. 2.

#### *Objectum dissertationis.*

Doctrina de juribus et obligationibus personarum ecclesiasticarum magnam juris canonici partem efficit. Nos tamen praesentem dissertationem, in quantum esse poterit, solum ad personas ecclesiasticas sensu minus lato et proprio sumtas, i. e. ad clericos generatim ac tantum quales consideratos restringemus, illorumque jura

et obligationes cum juxta regulas juris canonici communis, in quantum istud apud nos adhuc usu obtinet, tum secundum singulares in Austriacis Germanicis ditionibus editas desuper constitutiones explanabimus.

§. 3.

*Divisio ejusdem.*

Clerici seu personae, quae per susceptos ordines ad munus ecclesiasticum destinantur, sunt vel seculares vel regulares. Discrimen facit votum, quo se regulares, nequaquam vero seculares ad observandam certam ordinis regulam obstringunt. De clericis secularibus, si hos simul qua personas ecclesiasticas sensu strictissimo non consideramus, nihil est praeter id, quod de clericis generatim valet, et partim aditum status clericalis, partim illorum obligationes et praerogativas concernit, singulariter notandum. Clerici vero regulares ob multas singularitates exposunt etiam specialem considerationem. Hinc tota dissertatio in tres dispescetur sectiones, I. de aditu status clericalis, II. de obligationibus et praerogativis clericorum, III. de clericis regularibus.

Sectio I.

*De aditu status clericalis.*

§. 4.

*Objecta hujus sectionis.*

Status clericalis exposcit convenientem animi culturam, et aditur per susceptionem ordinum

seu ordinationem. Ab hac autem arcent tam defectus quidam et delicta, quae irregularitales dicuntur, quam defectus tituli ordinationis. Quare in hac sectione A) de cultura animi ad statum clericalem necessaria, B) de irregularitatibus seu impedimentis ordinum, C) de titulo ordinationis, et D) de ipsa ordinatione agendum erit.

### §. 5.

#### *Scientifica cultura alumnorum per studia theologica.*

Cultura animi, statui clericali necessaria est partim scientifica, partim religioso-moralis. Ad scientificam alumnorum eccl. culturam spectant praecipue studia theologica. Qui ad ea cupit admitti, Directori vel Vicedirectorri facultatis theologicae testimonium adferat, quo doceat, ab Episcopo, vel coenobio aut monasterio quodam sibi promissam fuisse receptionem a). Nemo ad studium theologicum potest adspirare, qui cursum philosophicum in publico haered. ditionum instituto litterario cum bono profectu non absolvit; vel obtento praevie Gubernii indultu in tali instituto ex praescriptis cursus philosophici materiis examini se non subjicit b). Ante finitum cum requisito a legibus successu cursum theologicum nullus potest ordinari presbyter c). Haec dispositio extenditur etiam ad clerum regularem d). Ad cursum theologicum pertinent pariter cateche-

---

a) 4 Jul. 1790. 11 Feb. 1814. Instructio pro theor. stud. dir. 20 Jan. 1809. — b) 15 Jan. 1791. — c) 6 Apr. 1782. 7 Jan. 1792. num. 2. — d) 10 Aug. 1782. —

tico - paedagogicae paelectiones in scholis normalibus e), quae tamen non prius quam ultimo theologici cursus anno audiendae sunt f); consequenter ad presbyteratum etiam nullus admittendus, qui testimonium de auditio cathechetico Praeparandorum cursu exhibere nequit g). Absque obtenta prima classe ex illis theologicis scientiis, sine quarum cognitione curator animarum nunquam est is, qui esse deberet, nempe ex jure canonico, ex morali et pastorali theologia, item ex cathechesi et paedagogia neminem licet ad maiores ordines promovere h). Ex reliquis cursus theologici objectis sufficient testimonia cum secunda classe i). Attamen licentia impertiendi presbyteratus pro quarti anni theologis, si ex jure canonico primam classem in examine jam retulissent, et si modo episcopus pro iis intercedat, a Gubernio impetrari potest k). Aequo scholarum parum alumni, si priores cursus theologici annos cum bono profectu finiverint, ante ultimum annum ad presbyteratum admitti possunt, sed ante absolutum totaliter theologiae cursum sub nullo praetextu ad obeunda officia ecclesiastica in cathedra aut in confessionali adhibendi sunt l).

### §. 6.

#### *Privata instituta theologicoo-litteraria.*

Praescripta studia theologica de regula in quodam haered. dit. instituto publico, in Universitate vel Lycaeо, sunt absolvenda. Omnibus tamen Dioecesanis, si in loco suorum Seminari-

---

e) 3 Feb. 1792. — f) 7 Mart. 1804. — g) 19 Aug. 1784. —  
h) 6 Mai 1807. — i) 6 Apr. 1782. — k) 16 Mai 1807. n. 21. —  
l) 20 Feb. 1804.

orum nulla Universitas aut Lycaeum existat, pro alumnais suarum Dioecesum, et cuilibet coenobio aut ordini singillatim, vel pluribus coenobiis et conventibus ejusdem ordinis simul facultas est data privatum institutum litterarium erendi, in quo theologia et jus canonicum secundum generalem studiorum normam, et juxta adoptatos in Universitatibus paelectionum libros lingua Latina, excepta unice theologia pastorali Germanice tradenda, sine interruptione ordinis naturalis, qui exposcit, ut studia aliis pro prolegomenis inservientia non tardius aut eodem cum iis tractentur tempore, in triennali admininus cursu a quatuor legitime examinatis et confirmatis professoribus paelegeretur; donec per adjuncta licuerit cursu n quadriennem legaliter introducere, et cuilibet scientiae, prout in Universitatibus, suum praeficere magistrum *a*). Modo jam paeceptum est, ut non tantum in omnibus episcopalibus et communibus coenobiorum Austr. infer. theologicis, sed etiam in quibusvis domesticis coenobiorum et monasteriorum institutis litterariis per ceteras provincias cursus theologicus quatuor annorum plene juxta normam in Universitatibus servari solitam introducatur *b*). Nullus candidatus clericatus secularis, praeterito diocesano, potest in alieno instituto litterario domestico frequentare; coenobiis e contra et Monasteriis, quae nullum proprium domi studium habent, licitum est suos clericos ad alios conventus, quamquam ejusdem ordinis non sint, vel ad Seminarium diocesanum.

---

*a)* 4 Jul. 1790. I. 2. 4. II. 3, 7. Aug. 1791. n. 1 2; Apr. 1802. I. 2. II. 5. Instructio pro fundatoribus theol. instit. de die 8 Feb. 1811. §. II. 1. 5. §. III. 6. §. VI. 4. n. 1. — *b)* 18 Jun. 1813. 23 Sept. 27. Oct. 1814. —

studiorum causa mittere c). In suscipiendis candidatis episcopi vel ordinariatus et ordinum praesules sint cauti, ne hominibus dubiae moralitatis, vel incapacibus aut linguae Latinae ignaris aditum ad studia permittant, quae illis ad presbyteratum viam pandant d). Respectu absoluti studii philosophici quoad assumendos candidatos eadem sunt observanda, quae superius (§. 5.) dicta sunt. Insuper obligantur suorum theologiae auditorum testimonia de finito legitime philosophico studio provinciae Gubernio exhibere e).

§. 7.

*Modus constituendi in his Professores.*

Theologica instituta privata inspectioni et regimini status, prout publica subsunt. Quare Ordinariatus, Praepositive ordinum quemlibet munus professoris ambientem Gubernio indicare, et ab eo facultatem muneris professorii candidatum ad Universitatem vel Lycaeum provinciae tentaminis ergo mittendi impetrare tenentur. Istud solita in concursibus publicis methodo tam scribendo quam perorando subeundum est. Si candidati professores fidem facere nequeant, se post A. 1774 in quodam haered. dit. publico aut per Gubernium approbato instituto privato totum cursum theologicum audivisse; ante omnia obligantur, obtento ad id etiam Gubernii consensu, se examini orali ex omnibus theologici cursus partibus subjicere, et desuper testimonia publicorum professorum Universitatis aut Lycaeui provincialis

---

c) 26 Jul. 1805. n. 7. Instructio §. II. 1. — d) Instr. §. II. 6. — e) Instr. §. II. 2. 3. §. VI. 1. n. 7.

sibi procurare; atque tum demum, si in his examinibus satisfecerint, ad tentamina pro futuro professoris munere possunt admitti. Si destinati cathedrae candidati, antequam munus professoris adeant, se tentamini substernere nequeunt, Gubernium illis hoc munus ad aliquod tempus provisorie potest comittere, modo pares probando sint, quod in aliquo C. R. publico, aut per Gubernium approbato instituto theologiam universam adminimum cum profectu primae classis audiverint. Pariter Gubernium candidato, qui jam pro una cathedra confirmatus fuit, se pro alia ad examen praeparandi tempus prolongare potest, quo durante alteri quoque cathedrae provvisorio modo praesit. Ad aptos et muneri suo pares obtinendos professores ab ordinariis et ordinum Praepositis tantum tales viri sunt regimini propnendi, qui in theologico cursu solertia et ingenio excelluerunt, atque animum habent pluribus annis munus professoris continuandi. Eiusmodi individuis statim post absolutum theologiae cursum sua destinatio est nuncianda; ipsisque omnia media ad majorem eruditionem comparandam necessaria sunt subministranda. Operam suam quidem praeципue scientiae aliquando ab ipsis tradendae impendant, praeterea vero etiam omnes theologiae partes repeatant, ut profundiores atque magis connexas ex omnibus cognitiones obtineant. Ad demonstrandum, quod hi candidati professores subministratis sibi mediis et otiosis ad se perficiendos usi fuerint, rigorosa examina pro doctoratu subire adstringantur. An dein etiam inaugurandi essent, ab arbitrio suorum Superiorum dependeat \*).

§. 8.

*Normae pro Professoribus in privatis theologiae institutis litterariis.*

Quilibet professor tantum duas, et non nisi inter se affines cathedras tenere potest; professor autem Dogmaticae solum hoc studium tractare debet a). Professor studii biblici, donec secundus ejusdem professor non fuerit constitutus, quotidie semialtera hora mane vetus testamentum et a meridie totidem horis novum foedus auditoribus suis debet explicare b). Omnis conatus atque professorum labor in dogmaticam et morallem christianam tanquam ad centrum theologiae tendat, oportet; ac in expositione ceterarum scientiarum auxiliarium ita procedatur, ut dilucidandis atque firmius stabiliendis disciplinis praedictis inserviant c). Provisorii professores in nullo casu validum testimonium dare possunt, quare suos discipulos ad quodvis semestrale examen in Universitatem vel Lycaeum provinciae, aut dioecesanum institutum litterarium, quod legitime approbatis gaudet professoribus, ad obtinenda per examen ibi subeundum testimonia mittere debent. Facultas valida testimonia dandi tunc tantum privatis dioecesani aut monastici instituti professoribus est concessa, si ad concursum legitime comparuerint, in eo satisfecerint, et a regimine Decretum confirmatorium acceperint. Haec tamen facultas solum ad studium, pro quo sunt confirmati, et apud professores in coenobiis et monasteriis solum ad illos discipulos extenditur, quos ipsi erudiebant, et qua confirmati professores

---

a) 26 Jul. 1805. n. 2. — b) Instr. §. III. 6. — c) Ibid. §. IV.

examinabant. Testimonia per confirmatos professores discipulis suis data ubique plenum habent robur, si ab iis et immmediato instituti praefecto subscripta, sigilloque Seminarii, coenobii aut claustrum munita sint *d*). Cathechetico-paedagogicae preelectiones auditoribus privatorum institutorum sunt vel in schola capitali loci excipiendae; vel si in his materiis per approbatum privatum professorem sint informati, in urbibus provincialibus a directore et cathecheta ibi existentis scholae capitalis, et si solitaria coenobia et claustra jacerent, a proximo districtus inspectore forent examinandi ad obtinenda desuper testimonia *e*). Senior ex professoribus editam pro privatis institutis informationem debet custodire, illi omnes futuras ad eam pertinentes constitutiones adnectere, eamque cuilibet novo professori legendum, et quod legerit, subseribendam porrigere, atque in casu relinquendae a se cathedrae suo in Senioratu successori cum iisdem obligationibus tradere, quibuscum et ipse acceperat *f*).

### §. 9.

#### *Examina in privatis theol. Institutis.*

Ordinariatus et ordinum Praepositi invigilare debent, ut et collegialia examina diligenter, et semestralia cum aliqua solemnitate a professoribus instituantur. Prout discipulorum responsa magis minusve clara, accurata, praecisa atque adaequata fuerint; eorundem profectus in studiis, simul etiam morum qualitas juxta rectum conscient-

---

*d*) 26 Jul. 1805. n. 6. Instr. §. III. 3 — 6. §. I. 5. — *e*) Plan, scholast. 7 Mar. 1804. *f*) Instr. §. VI. 4. n. 5.

tiae dictamen in cathalogo adnotetur; hicque a professore et a praefecto instituti subscriptus in Archivo recondatur. Intra quatuordecim a semestrali examine dies semper tria fideliter descripti cathalogi a professoribus et instituti praefecto subscripta exemplaria ab Ordinariatu et ordinum Praepositis Gubernio exhibeantur *a*). Ad obtinendam certitudinem, quod pro Universitatibus et Lycaeis praescriptus, et ad privata theol. instituta extensus ordo studiorum observetur, adeoque scientiae ex tenore legum tradantur, impressa introducti in Viennensi Universitate cathalogi exemplaria omnibus privatis institutis erant a Guberniis distributa *b*). Occasione collegialum et semestralium examinum, ex Dogmatica et morali christiana instituendorum, in adducendis ex sacra scriptura probationibus semper ad textum originarium respicendum, et non multitudini textuum, sed potius inconcuso robori et firmitati, quae in uno textu secundum hermeneuticas regulas ad probationem faciendam inesse deprehenditur, deferendum est *c*). In fine cujusvis anni scholastici, theses ex omni per annum tradita scientia theologica et jure canonico, publicae disputationi sunt exponendae *d*). Hae theses, excepta theologia pastorali, sunt lingua Latina exprimendae; praecipuas et maximi momenti veritates ex qualibet materia ita collocatas exhibeant, ut inde sistema, soliditas et plenitudo expositionis in qualibet scientia elucescat, ante finem Julii in integro per medium involuto folio, cuius pars anterior pro accessuris forsitan correctionibus vacua est relinquenda, scriptae in duplo immediate ad Vicedirectorem (vel etiam Directo-

---

*a)* Instr. §. V. 1. 2. 4. — *b)* 15 Apr. 1814. — *c)* Instr. §. V. 3. — *d)* 2 Apr. 1802. II. 5. Instr. §. VI. 3.

rem) studii theologici mittantur, et obtenta a censura licentia eas imprimendi typo, qui ordinariis remissus est, mandentur. Usque vigesimam Octobris in fidem altissimi mandati observati exemplaria ex thesibus cum tabella septem rubricas complectente, ac omnes privati theol. instituti alumnos exhibente, a praefecto sunt Gubernio subministranda e). Insuper omnes privatorum theol. institutorum praefecti jubentur absolutorum theologorum progressum in omnibus studii theologici scientiis, illorum mores, et singularem, si qua forte gaudeant, habilitatem aliquam scientiam docendi scriptotenus in fine anni scholastici directori studii theologici notificare, ut dein notitiae hae a directore in generalem indicem, per Gubernium Suae Majestati substernendum, referri possint f). Ad retinendam in docendi sistemate uniformitatem theologici studii Vice director (aut eo deficiente Director) annue ad minimum semel examinibus finiti alterutrius Semestris interesse, et statum instituti litterarii explorare debet. Impensaे hujus itineris a visitandis coenobiis instituta ejusmodi habentibus sunt ferendae. Ille hac occasione, quaecunque Studiorum systemati repugnare repererit, abroget, et de resultatis rationes Gubernio reddat g).

### §. 10.

#### *Religioso-moralis institutio in Seminariis.*

Religioso-moralem institutionem clerici recipiunt in dioecesanis Seminariis, aut sic dictis

---

e) Instr. §. VI. 4. n. 1 — 5. dein 1. f) 31 Dec. 1808. g) 18 Junii 1813.

clericorum alumnatibus. Jam concilium Tridentinum *a)* omnibus episcopis erectionem Seminiorum injunxerat, eorumque formam et constitutionem determinaverat, atque pro eorundem sustentatione partim assignata studiosae juventuti stipendia, partim certas portiones proventuum ex bonis ecclesiasticis, partim aliqua simplicia beneficia in qualibet dioecesi destinaverat *b)*. Josephus II. Imperator exerat 1783 in omnibus monarchiae provinciis sic dicta generalia Seminaria, in quibus clerici, ex dioecesis cuiusque provinciae recipiendae institutionis causa congregati, sub immediata civitatis cura versabantur *c)*. Leopoldus II. Imp. A. 1790 haec generalia Seminaria sustulit excepto Ruthenico Leopoli; ademta alumnatibus episcopalibus bona et fundationes episcopis restituit, iisque facultatem dedit propria dioecesana Seminaria erendi, ac in haec tot clericos assumendi, quot ex restitutis fundationibus, aut propriis bonis aliisque proventibus sustentare possint, ac velint. Alii candidati status clericalis, non recepti in Seminaria dioecesana ex stipendiis, vel ex propriis bonis, aut ex informatione juventutis in privatis domibus quaerant sustentationem. Hi tamen finito cursu theologie in presbyteria, ubi talia existunt, et sufficienes proventus habent, congregandi, ac ibi ad curam animarum immediate praeparandi *d)*. Erectionem presbyterii, in quo junior clerus ante applicationem ad curam animarum ab Ordinario super sua moralitate et principiis religiosis probari posset, jam Josephus II. pro quavis dioecesi

---

*a)* Sess. 23. c. 18. de reformat. — *b)* Vide: Kurze Geschichte der bischöflich Sem. in theor. Monatschrift von Linz II. Jahrg. 1. B. — *c)* 30 Mar. 21 Aug. 23 Sept. 1782. 3 Apr. 1784. 7 Jan. 16. Oct. 1785. 22 Jun. 27 Jul. 21 Aug. 1786. 24 Nov. 1787. *d)* 4 Jul. 1790.

necessariam esse agnovit e). Imperator vero Franciscus mandavit, ut cum ad administrandam animarum curam virtute praediti, idonei et solertes viri necessarii essent, tales autem ut plurimum et solum in Seminariis sub immediata episcoporum inspectione et directione possint excoli, quisque episcopus proprium dioecesanum Seminarium, et in hoc, si nulla Universitas aut Lyceum in loco esset, ordinatum juxta universales leges Studium theologicum habeat f). In omnibus dioecesanis, et in communibus theologicis coenobiorum institutis debet adesse pater spiritualis, qui neque professor, neque praefectus alumnorum sit, ut tanto familiarior illorum amicus esse possit g). Ordinarius in recipiendis status sacerdotalis candidatis semper tales juvenes respiciat, qui praeter bonam moralitatem ingenio excellunt, ut ex iis impostorum idoneos possit obtinere professores h). Attamen ob defectum clericorum alumni Seminariorum probis moribus praediti et solertes, qui casu vel ob ingenii debilitatem ex una alterave materia praescripta quidem, sed ad curam animarum non omnino necessaria in secundam classem incidissent, porro in Seminariis, sed non nisi cum expresso altissimo consensu, in omni casu expetendo retineri possunt. Quare Gubernium talem casum ad Cancellarium aulicam referre debet, ut dein sua Majestati pro altissima resolutione substernatur i). Cunctis Ordinariis est informatio data, ut et diligentiae et moralitati theologorum extra Seminarium et dioecesim commorantium, quibus absolute studio theologico receptio in dioecesim praevie est promissa, semper attente invigilent,

---

e) 16 Sept. 1784. — f) 2 Apr. 1802 I. 5. — g) 18 Jun. 1813.  
7 Jul. 1814. — h) 3 Mai 1807. — i) 6 Mai 1807.

quem in finem episcopus dioecesanus loci, ubi litteris operam dant, hoc vigilandi officium directori sui Seminarii, praedictis vero theologis injungere debet, ut ex mandato directoris hebdomadali aut menstruo examini, atque spiritualibus exercitiis<sup>1</sup>, item die dominico et festo pietatis officiis in Seminario intersint; a quibus tantum ob singularia impedimenta cum praescitu et licentia directoris abesse licebit. Director in fine anni scholastici, si progressus alumni in studiis et moralitate expectationi non responderet, et si hic post praemissas, et repetitas serias admonitiones se non emendavisset, de integra moralitate alumni relationem suo Ordinario facere debet, qui eam Dioecesano alumni communicabit; cui dein liberum est promissam in dioecesim susceptionem revocare, eumque hoc modo ad continuandam theologiam inhabilem declarare k).

§. 11.

*Fundus alumnatus.*

Ad ferendas horum Seminiorum expensas inserviunt imprimis restitutae post sublata generalia Seminaria episcopis fundationes priscorum episcopalium alumnatum, et presbyteriorum. In subsidium horum jam olim in pluribus dioecesibus curati et beneficiati annuam summam debebant conferre. Hoc sic dictum Seminaristicum vel alumnaticum Josephus II. Imp. ad erecta a se generalia Seminaria undique transtulit a) simul mandando, ut etiam in illis dioecesibus, in quibus alumnatum in usu nunquam erat, aut jam exoleverat, a

parochis in 1 fl. 30 cr. a localibus capellanis et beneficiatis in 1 fl. annue pro bono generalium Seminariorum solvatur *b*); proinde in dioecesisibus, ubi seminaristicum jam antehac usu obtinuit, antiqua beneficia eam summam, quam sub hoc nomine semper solvebant, porro debebant dependere; neoerecta autem beneficia et a coenobiis atque monasteriis neoerectae Curatiae modo supradicto erant contributioni subjectae. Tantum antiquae realitatibus dotatae ordinum parochiae debebant de annuis proventibus 2000 fl. 6 fl., 1500 fl., 4 fl., 800 fl. 2 fl., 600 fl. 1 fl. 30 cr., 350 fl. 1 fl. omni anno in subsidium alumnatus solvere *c*). Sublatis generalibus Seminariis curati Sacerdotes solum illud alumnatus subsidium, quod ante erecta generalia Seminaria in usu fuit, Ordinariatu debebant pendere, a solvendis autem subsidiis, quae propter generalia Seminaria imposita sunt, penitus liberati fuerunt *d*). Cum vero postea omnes episcopi ad erigenda dioecesana Seminaria obstricti fuissent, ad quod opus ubique sufficiens necessitatibus dioeceseos fundus non aderat, fuit iis concessum novum alumnatus subsidium, quod occasione generalium Seminariorum stabilitum, sed dein cum his sublatum fuerat, iterum exigere *e*). Ita quoad alumnatus subsidia omnia in eum statum sunt reposita, in quo tempore generalium Seminiorum fuerunt. In nonnullis locis clerus cum speciali aulae consensu adhuc magis fuit oneratus. Insuper maxima cura habenda fuit, ut Seminariis dioecesanis sufficienti fundo non instructis hic ex stipendiis theologicis et fundo religionis comparetur *f*). Dotatio Archi - episcopalii Seminarii Vindobo-

---

*b*) 5 Apr. 1784. — *c*) 30 Jul. v. 9 Aug 1787. — *d*) 2 Nov. 1790. — *e*) 2 Apr. 1802. I. 4. — *f*) 2 Apr. 1802 I. 4. —

nensis per speciales alumnaticum respicientes dispositiones fuit regulata g). Tandem ad obtinendam Seminariorum Austriae inferioris dotationem quisque sacerdotum erat obligatus in suo testamento, seminaristico suae dioeceseos fundo certam legare summam; et quidem simplex beneficiatus 1 fl, localis capellanus 1 fl. 30 cr. parochus 3 fl. Canonicus 6 fl. generalis Vicarius 12 fl. Haec subsidia eo quoque casu, quo in testamento nulla eorum mentio expressa fieret, aut si parochus intestatus obiret, ex haereditate memoratorum sacerdotum fundo Seminarii sunt solvenda h).

### §. 12.

#### *Impensio et administratio ejusdem.*

Ut in Seminariis episcopalibus numerus major clericorum sustentetur; debent episcopi omnes proventus Seminariorum tantum in sustentationem alumnorum, et ita impendere, ut pro quolibet summa 200 florenorum ad summum expendatur, inde etiam famulitium solvatur, et praefectus ad expensas salarii evitandas semper aliquis Canonicorum constitutatur. Neque professores theologici instituti, quos episcopus in suo Seminario dioecesano, causa supra §. 10. memorato, habere tenetur, ex foundationibus Seminarii salarym accipient, sed eos episcopus ex propriis proventibus sustentare debet a). Licet tamen in hunc finem juxta alias constitutiones b) etiam subsidia alumnatus, aliosque adhibere proventus. Quomodo impenderit funda-

---

g) 18 Jul. 1808, 7 Jun. 16 Jul. 1810 — h) 15 Aug. 1808.  
5 Apr. 1808 pro Boh.

a) 25 Oct. 1792. II. 8 et 4. — b) 4 Jul. 1790 II. 3, 2 Apr.  
1802 4, 18 Aug. 1808.

tos proventus Seminariorum, item subsidia alumnatus (nunc quoque decerpta ex haereditatibus Sacerdotum), episcopus annue gubernio rationes reddere, hoc vero summariam consignationem Cancellariae aulicae in fine ejusvis anni exhibere debet c).

§. 13.

*Stipendia pro theologis.*

Ad augendum theologorum numerum, pro futuris clericis fundata stipendia veterum Seminariorum et convictuum, in quantum haec a fundatoribus expresse pro aliquo Seminario episcopali non erant destinata, studiosis Theologiae extra episcopala Seminaria existentibus, qui requisitum a stipendiatis profectum in studiis facientes se ipsos nequirent sustentare, tanquam annua 80 usque 100 florenorum subsidia assignata fuerunt a). Porro fuit statutum, ut habentes in philosophia stipendum illud etiam in theologia retineant b). Tandem in quantum ad obtainendum majorem clericorum numerum necesse erat, ac vires fundi religionis admittebant: cuilibet juveni studio theologiae se dedicaturo collatio stipendii 100 florenorum ex fundo religionis erat promissa c). Stipendia theologis secularibus, modo hi sistematicum ejusvis dioecesis numerum, et illa determinatam non excedant summam, proponente Ordinariatu ex fundo religionis assignat Gubernium d). A Cancellaria vero aulica pro necessitate dioecesum plura, quam initio erat constitutum, numero stipendia ex fundo reli-

---

c) 15 Oct. 1792 II. 3.

a) 25 Oct. 1792 II. 1. — b) 23 Oct. 1792 — c) 25 Oct. 1792. II. 5. — d) 16 Mai 1807. Beyl. n. 16.

gionis concedi possunt e). In Bohemia viginti stipendia 150 florenorum ex fundo religionis studiosis theologiae constituta sunt f). Sed quia multi juvenes sub praetextu amplectendi statum clericalem stipendiis theologicis provisi juridicas quoqne aut medicas preelectiones excipiebant, ac postea statui clericali valedicebant: ad omne stipendiorum fundis ingruens damnum avertendum, fraudationemque scopi fundatorum impediendam severissime vetitum fuit theologis stipendiatis eodem tempore, quo theologica, etiam juridica aut medica frequentare studia; professoribus aequae severe fuit interdictum, theologis stipendiatis testimonia ex aliis scientiis dare. Si tamen talia testimonia exhiberentur, pro invalidis reputanda sunt, et in promotione ad officia publica, gradusque Academicos nullus eorundem respectus habeatur g). Theologici professores epochas studiosorum theologiae, erga quarum presentationem his stipendum solvitur, manu sua confirmare debent ad fidem faciendam, quod illi re ipsa theologiae operam navent h), et in catalogis annue bis ad dicasteria submittebant aequae adnotare penes nomen cuiusvis auditoris, an in Seminario episcopali vivat, aut si extra hoc sit, quali stipendio gaudeat i). Si theologus stipendiatus ex quopiam ad curam animarum immediate non necessario objecto in finali examine secundam reportet classem, id semper a Gubernio Cancellariae aulicae significandum, ut hie casus Suae Majestati pro benignissima resolutione sub sternatur k).

---

e) 7 Feb. 1806 pro Boh. — f) 9 Aug. 1794. — g) 14 Dec. 1797. — h) 19 Oct. 1790. — i) 25 Oct. 1792. II. 1. — k) 6 Mai 807.

§. 14.

*Aliae dispositiones ad augendum clericorum numerum.*

Ad augendos status sacerdotalis candidatos aliae adhuc dispositiones factae sunt. Restituebantur 1º antiquata gymnasia in minoribus locis, ubi ad hunc finem necessarium visum est. 2º In quibusdam locis, praecipue ubi gymnasium et simul episcopale presbyterium erat, etiam philosophicum studium introductum fuit, in quo magistrorum officia obirent a coenobiis in dioecesi existentibus praesentati, et approbati monachi sub immediata episcopi, mediata vero gubernii inspectione. 3º Utrobius juvenes a solvendo didactro, ut parentibus et tutoribus eorum sustentatio esset facilior, exempti fuerunt. 4º Olim existentes convictus et studiosorum Seminaria collapsa, quantum fieri potuit, restituta sunt. 5º Coenobiis et claustris permissa fuit informatio suorum juvenum cantorum (non autem *a)* aliorum) in grammaticalibus disciplinis sub conditione, ut hi ingressuri publicas scholas praevie examen ex perceptis materiis, sed absque omni taxa subeant. 6º Haec facultas etiam decanis ruralibus et parochis pro optimae spei aptisque ad litteras juvenibus *b)* ex sua parochia non autem extranea *c)* oriundis, item clericis scholarum piarum in locis, ubi quondam existentia gymnasia nondum restaurare licuit, concessa fuit *d)*. Ista facultas vero non extenditur ad stipendiatos, nam hi obligantur in publicis frequentare institutis *e)*. Informatio ipsa ultra grammatices classes

---

*a)* 9 Dec. 1814. — *b)* 2 Apr. 1802 I. 1 — 3. — *c)* 9 Dec. 1814. — *d)* 30 Apr. 1804. — *e)* 26 Oct. 1802.

non protrahenda, et juxta praescriptum pro quilibet materia ordinem facienda, atque nec abbrevianda, nec contrahenda est f).

§. 15.

*Irregularitates.*

Ingressus in statum clericalem fit per receptionem ordinum. In ordinando ecclesia certas partim positivas partim negativas requirit qualitates, et quidem aliquas ad valorem, alias ad licitam susceptionem, vel licitum exercitium ordinum. Absentia unius ad valorem requisitae qualitatis producit incapacitatem ad suscipiendos ordines, eaque laborant faeminae solum, et non baptizati a). Absentia vero qualitatis non quidem ad valorem ordinis, sed ad hunc licite suscipiendum, vel exercendum necessariae est irregularitas seu impedimentum ordinationis. Irregularitas oritur vel ex defectu, vel ex delicto, et est a temporalis aut perpetua, prout sub certis adjunctis sine interventu superiorum ecclesiasticorum cessare potest, vel non; totalis, si susceptionem cuiusvis, et quemvis usum suscepti ordinis, vel partialis, si tantum quempiam determinatum susceptorum ordinum usum impedit.

§. 16.

*Ex defectu.*

Non omnes defectus, sed tantum a canonibus ecclesiae generaliter notati producunt irregulari-

f) 9 Dec. 1814. n. 2.

a) Can. 25. 29. Dist. 23, cap. 1. de presb. non baptiz.

tatem. Hinc sunt irregulares 1° ex defectu bonorum animi, qui usum rationis non habent e. g. lunatici, amentes etc. ignorantes a). Concilium Trid. b) postulat pro tonsura cognitionem rudimentorum fidei, artisque legendi et scribendi; pro minoribus ordinibus cognitionem Latinae linguae; pro majoribus ordinibus convenientem gradum doctrinae, nominatim pro presbyteratu talem, ut ordinandus populum necessarias ad salutem veritates docere, et sacramenta administrare possit. Per nostras leges scientiae necessariae gradus accuratius determinatur.

2° ex defectu corporis, qui propter suam deformitatem risum vel horrorem movent, vel quopiam ad exercitium ordinis cuiusdam necessario organo destituuntur e. g. digitis promissa necessariis aut oculo sinistro, utpote canonico privati c).

3° propter maculam nativitatis proles illegitimae d), et etiam a conjugibus tali tempore, quo his propter solempne castitatis votum coitus non erat amplius e) licitus, generatae; non autem proles expositae, quia in dubio favorabilius, hic nempe legitima nativites praesumi debet. Filii illegitimi clericorum etiam post obtentam ab irregularitate dispensationem in illa ecclesia, ubi pater est aut erat beneficio provisus, nec possunt beneficia assequi, nec retinere f).

4° Propter defectum aetatis, qui nondum annum vigesimum secundum pro subdiaconatu, 23um pro diaconatu, et 24um pro presbyteratu g) attigerunt, et 30 pro episcopatu impleverunt h).

---

a) Can. 3 et 4. Dist. 33. can. 1. dist. 36. — b) Sess. 23. cap. 4. 11. 13 et 14 de ref. — c) cap. 1. de corp. vitiat. cap. 2. de cler. aegrot. can. 57. Dist. 1. de consecr. — d) Can. 14 et 50. dist. 56. — e) Cap. 1. de fil. presbyt. — f) Cap. 2. 3 etc. de fil. presb. Conc. Trid. sess. 25. cap. 15. de ref. — g) Conc. Trid. sess. 23. cap. 12. de ref. — h) cap. 7. de elect.

Pro minoribus ordinibus et tonsura juxta hodiernam primum septem annorum aetas sufficit.

5º Propter bigamiam veram *i*), qui successive duas uxores habuerunt, propter bigamiam interpretativam, qui viduam aut ab alio jam defloratam foeminam duxissent; item ob bigamiam similitudinariam, qui post deposita solemnia vota ipsi, vel secus cum persona his votis obstricta matrimonium inire attentant.

6º Propter defectum libertatis conjuges, si illorum uxores non consentiant, et vel in monasterium pergant, aut continentiam spondeant *k*); item qui ad rationes dandas obligantur, antequam absolvantur e. g. tutores, quaestores, perceptores *l*).

7º Propter defectum mansuetudinis milites, qui sibi consciit sunt in bello occidisse aut vulnerasse *m*), porro judices et officiales criminales, si quid contulerint ad exequendum supplicium mortis *n*).

Apud nos non est timenda sacerdotibus irregularitas, qui 1º effusionem cadaverum ad erendum corpus delicti permittunt. 2º qui judici pententi ad rite administrandam justitiam in casibus criminalibus litteras baptismales, matrimoniales et necrologia edunt, vel inspectionem librorum parochialium admittunt. 3º qui judici de adjunctis facti vel de quantitate illati damni notitiam aut testimonia subministrant *o*). 4º qui criminis reos in ecclesia vel monasterio asylum quaerentes ma-

---

*i*) Cap. 2. 3. de bigam. non ordin. — *k*) Can. 6 dist. 77. cap. 1 — 6. de cler. conjug. cap. ult. de temp. ord. in 6º. — *l*) Can. un. dist. 53. can. 3. dist. 54. cap. 1. de oblig. ad ratiocin. — *m*) Can. 8. dist. 50. — *n*) Can. 29. caus. 23. q. 8. can. 1 — 4. dist. 51. cap. 9. ne cler. vel monach. Can. 36. dist. 50. cap. 15. de homicid. — *o*) 22 Mar. 1765.

gistratui seculari tradunt p). 5º Qui militiae desertores q), et alios perduellionis reos eorumque habitationem judici indicant r). Illa individua ecclesiastica, quae oeconomiam administrant, ad evitandum omne irregularitatis periculum pro negotiis criminalibus exequendis quempiam virum secularem constituere et constanter retinere debent s).

§. 17.

*Ex Delicto.*

In antiqua ecclesia omne gravius post baptismum commissum delictum produxit irregularitatem. Postea vero canones ecclesiae magis ex arbitrio, quam secundum veram poenarum theoriā fecerunt selectum quorundam delictorum, quae sola et tunc tantum, si plene consummata essent, hunc haberent effectum. Quare sunt irregulares:

1º Qui sponte et illico modo hominem occiderunt a), abortum infantis jam viventis procurarunt b), vel alios mutilarunt c), vel lethaliter vel saltem ita, ut sanguis fluxerit, vulnerarunt d), morales item auctores et participes harum actionum e).

---

— p) 10 Mai 1752, 15 Sept. 1775. — q) 20 Mai 1756. —  
r) 2 Apr. 1787. — s) 15 Jun. 1783.

- a) Cap. 1. 18. 24. de homic. cap. ult. de temp. ordinan. cap. 12. de poen. can. 33. caus. 23. q. 8. can. 14. caus. 3. q. 9. can. 1. caus. 15. q. 1. cap. 1. de cler. pugnant. in duel. Clem. un. de homic. Conc. Trid. sess. 14 cap. 7. sess. 24 cap. 6. de ref. — b) Can. 8 — 10. caus. 32. q. 2. cap. 20 de homic. — c) Cap. 1. de cler. pug. in duel. cap. 4. de rapt. cap. 3. de homic. in 6º. clem. un. de homic. — d) Cap. 1. qui cler. vel vov. cap. 4. de rapt. cap. 18. de homic. — e) Can. 8. dist. 50. can. 23. dist. 1. de poenit. cap. 2. §. 1. de cler. pugn. cap. 5. §. 3. de homic.

2º Haeretici, apostatae, schismatici *f*).

3º Anabaptistae, et qui se rebaptizari passi, vel qui in rebaptizando cooperati sunt *g*).

4º Qui qua apostatae *h*), vel ab aliquo Simoniae reo *i*), excommunicato *k*), aut schismatico episcopo *l*), vel furtivo modo *m*), i. e. quin examinibus praescriptis se subjecissent, ordines, vel maiores praetermissis minoribus ordinibus *n*) per saltum scilicet, vel minores cum subdiaconatu eodem *o*) die suscepérunt.

5º Qui licet sibi concii sint censurae, ordinum *p*) aut majoris alicujus ordinis, quem nondum obtinuerunt, exercitium faciunt *q*); aut in interdicto loco missam celebrant *r*).

6º Omnes qui quodpiam crimen commiserunt infamia notatum *s*).

### §. 18.

#### *Cessatio irregularitatis.*

Qui nescit a canonibus ecclesiae cum aliquo defectu aut delicto, quod ipsi adhaeret, irregularitatem esse connexam, seu qui ignorantia juris laborat, non est liber ab irregularitate; prout nec ille, qui in ignorantia sui defectus versatur: ille contra ab irregularitate est liber, qui nescius actionem commisit, quae secus irregularita-

---

*f*) Can. 69. dist, 50. cap. 4. 9 et 15. de haeret. — *g*) Cap. 2. et ult. de apost. cap. ult. de baptiz. — *h*) Cap. ult. de apostat. — *i*) can. 107 — 109. caus. 1. q. 1. — *k*) can. 4. caus. 9. q. 1. cap. 2. de ordin. ab Ep. qui renunc. — *l*) cap. 1 et 2. de schism. — *m*) cap. 1. 2. de eo, qui furtive ord. susc. — *n*) conc. Trid. ses. 23. cap. 14. de ref. — *o*) cap. 2. de eo, qui furt. — *p*) cap. 1. et seq. de cler. excom. ministr. — *q*) cap. 1. de cler. non ord. minist. — *r*) cap. 3. 4. de cler. excom. cap. 18. de sent. excom. in 6º. — *s*) can. 1 et 2. caus. 5. q. 6, cap. 87. de R. I, in 6º.

tem producens delictum esset, talis est in ignorantia facti e. g. qui se rebaptizari curat, quia credit se nondum esse baptizatum *a*). De cetero ex temporali defectu orta irregularitas cessat statim defectu cessante; ex delicto autem, vel perpetuo defectu proveniens, excepta irregularitate ex macula nativitatis per professionem ordinis religiosi extingvenda *b*), tantum per dispensationem tollitur. Hanc episcopus potest elargiri, sive delictum vel defectus irregularitatem secum ferens occultus sit, sive notorius, dummodo notorium delictum investigationi judiciali ansam non dederit, quia secundum novissimum jus *c*) inter illas irregularitates, quae ex occulto delicto oriuntur, tantum ex homicidio voluntario profecta, et ex ceteris tantum ea, quae jam est in judicium deducta irregularitas, excipitur et Pontifici reservatur.

### §. 19.

#### *Titulus ordinationis.*

In ecclesia antiqua nemo ordinabatur, nisi ad ministerium certae ecclesiae, ex cuius proventibus sustentationem perciperet. Originarius ergo titulus ordinationis fuit ecclesia ipsa, quae propere etiam titulus; vocabatur post introducta vero beneficia ipsum beneficium. Ordinationes absolute, id est factae sine applicatione ad ministerium alicujus ecclesiae, vel sine obtento praevie beneficio erant semper prohibitae. Cum vero huic prohibitioni concilium Lateranense adjecisset clausulam: quod episcopus sine titulo aliquem ordinans ita ordinatum ipse sustentare obligetur, si

---

*a)* Cap. 9. de cler. excom. — *b)* Cap. 1. de fil. presbyt. —  
*c)* Conc. Trid. Ses. 24. cap. 6. de ref.

ille ex propriis aut paternis bonis vitae sustentationem non haberet *a*), inde conclusio formata est, quod episcopus ordinare etiam illos possit, qui sufficienti sustentandae vitae patrimonio vel ipsi gauderent, vel promissionem pensionis sive mensae pro futura vita a tertio quopiam obtinuerent *b*). Concilium Tridentinum *c*) quidem antiquum ordinationis titulum ad suscipiendos ordines maiores i. e. quietam beneficii honestae sustentationi sufficientis possessionem in regula requirit; sinit tamen per exceptionem proprium patrimonium vel pensionem ab alio promissam pro titulo ordinationis valere. Itaque hodie pro secularibus sacerdotibus triplex ordinationis titulus existit: 1º titulus beneficii, si aliquis ad collatum sibi beneficium ordinetur. 2º titulus patrimonii, si ordinatus propriis bonis gaudeat, ex quibus sibi sustentationem procurare possit. 3º titulus pensionis seu mensae, si tertius aliquis se obliget, quod ordinato in casu inopiae alimenta praestare velit. Clerici regulares ex ordinibus sufficienter dotatis ordinantur ad titulum professionis religiosae, mendicantes vero ad titulum paupertatis.

§. 20.

*Titulus mensae ex fundo religionis.*

Per provincias Austriacas omnibus cleri secularis candidatis titulus mensae necessarius sub certis conditionibus ex fundo religionis tribuitur *a*). Concessio ejus competit Gubernio *b*). Taxae pro

*a)* Cap. 4. de praebend. — *b)* cap. 23. de praebend. —

*c)* sess. 21. cap. 2. de ref.

*a)* 7 Jan. 1792. — *b)* 24 Jan. 1800. 16 Mai 1807. n. 3.

impetrato sunt remissae. Tantum pro elargiendo mensae titulo talibus individuis, quae ex fundo religionis pensionem percipiunt, et ad parochias promoventur e. g. ex religiosis, ex isto fundo taxa proportionata debet aulico taxoratus officio rependi c). Mensae titulum episcopus pro candidatis, antequam eos in presbyteros ordinat, petere jubetur, sed tantum pro talibus candidatis, qui praescriptum theologiae cursum cum requisito progressu absolverunt, et suam ad administrandam animarum curam habilitatem plene demonstrarunt, atque nullo corporis defectu explendis animarum curatori incumbentibus officiis obstante laborant. Episcopus igitur in libello porrigendo candidatos annotatis illorum nomine, patria, aetate, loco absoluti philosophici et theologici studii, item studiorum classe, moralitate et valedudine, gubernio indicare, ac originalia professorum vel facultatis praefectorum testimonia adjungere tenetur. Ad connexam cum titulo mensae sustentationem in casu deficientiae illi tantum clerici habent jus, qui presbyteratu insigniti statim vel curae animarum, vel pro re nata rei litterariae aut scholasticae se impendunt, ac in his officiis administrandis mores praeseferunt irreprehensibiles d). Ad diaconatum vel subdiaconatum item ad casum commissi delicti titulus mensae ex fundo religionis non est extendendus e).

§. 21.

*Titulus mensae a privatis.*

Quamvis ad augendum clericorum numerum omnibus presbyteratus candidatis requisitas quali-

c) 8 Mai 1795. — d) 7 Jan. 1792. — e) 6 Apr. 14 Sept. 1792.

tates habentibus titulus mensae ex fundo religionis sit promissus, non tamen propterea vetitum est eundem a Praelatis impetrare *a*). Idem valet etiam de aliis communitatibus atque Privatis, quia hac ratione fundus religionis ab onere liberatur. Quin imo quandoque necessitas cogit titulum mensae a coenobiis vel Privatis petere e. g. si ordinis clericus per aetatem quidem non impeditur presbyteratum suscipere, impeditur autem professionem emittere. In tali casu documentum promissi mensae tituli securitatis causa in publicos hypothecarum libros referri debet, et extabulatio titulorum mensae in nullo casu locum habet *b*), quamdiu is, cui titulus tribuitur, vivit. Nullum coenobium vel monasterium sine consensu Gubernii titulum mensae elargiri, et episcopus neminem ordinare potest, qui titulum mensae a coenobio vel claustro quidem habet, at ejus confirmationem a Gubernio subsecutam non exhibit *c*). Documenta tituli mensae, quae determinatam capitalis summam non complectuntur, secundum personalem largitoris qualitatem, quae usumfructum determinatae pecuniariae summae continent, secundum quantitatem summae in charta signata scribi debent. Pro documentis tituli mensae primae speciei, si ab administratione publica, quodam instituto, aut caenobio expediuntur, adhibenda olim erat charta signata septem florenorum (in Galicia quatuor) *d*). Modo autem pro titulis mensae ex fundo religionis vel alio publico instituto i. e. ab administratione publica concedendis charta signata non est necessaria *e*). Libellus supplex pro

---

*a)* 27 Dec. 1810. — *b)* 14 Apr. 1785. — *c)* 28 Jun. 1782. —  
*d)* 27 Sept. 1803. — *e)* 8 Jul. 1813.

obtinendo mensae titulo subjacet chartae signatae sex cruc. f).

§. 22.

*Collator ordinum.*

Ordinarius collator ordinum est episcopus a). Attamen etiam Cardinales illis personis, quas ad ministerium ecclesiarum suorum titulorum applicant; et benedicti abbates professis sui coenobii tonsuram et minores ordines conferre possunt, si ipsi jam presbyteri sint b). Ecclesia posset presbytero facultatem concedere etiam subdiaconus conferendi; ipsa enim hunc ordinem introduxit, consequenter et ejusdem ministrum determinare potest. In antiqua ecclesia extant plura hujusce rei exempla c). Collatio ordinum majorum valida manet, etiam si episcopus haereticus, alienus i. e. non proprius ordinandi, si suspensus ab officio, vel excommunicatus esset, aut suo episcopatui vel dignitati renunciasset, quia valor sacramentorum, in quibus conferendis Christus ipse operatur, si id, quod jus divinum essentialiter ad sacramentum requirit, observetur, neque per qualitatem indigni ministri, neque per humanam prohibitionem annihilari potest d).

---

f) 28 Apr. 1803.

- a) Conc. Trid. sess. 23. cap. 4. de Sacr. ord. — b) Benedicti XIV. const. ad audientiam. cap. 11. de aetate et qualitate praefic. conc. Trid. sess. 23. cap. 10. de ref. — c) Vide Gelasii P. epist. 9. ad. episc. per Lucan. can. 6. Conc. Meldens. sec. XII. — d) Conc. Trid. sess. 7. can. 12. de Sacr. Sacram.

§. 23.

*Quis proprius quoad ordines Episcopus.*

Ut autem episcopus etiam licito modo ordines conferat, est necesse, ut sit catholicus, cum Romana ecclesia in communione, et proprius ordinandi Episcopus. Proprius quoad ordines Episcopus 1º ratione originis ille est, in cuius dioecesi parentes ordinandi tempore nativitatis constans domicilium habebant, non autem casu tantum commorabantur. 2º ratione domicilii is, in cuius dioecesi ordinandus constanter commorari sibi proposuit; dummodo vel per decennalem vel saltim longiorem cum translatione supellectilis suae connexam in eo loco commorationem suum ibi permanendi animum jam manifestaverit, atque juramento confirmaverit. 3º ratione beneficii episcopus dioeceseos, in qua ordinandus jam aliquod ad sustentationem sufficiens beneficium possidet a). 4º ratione familiaritatis episcopus, quocum quispiam tribus annis conversabatur; si quidem illi statim post ordinationem congruae sustentationi sufficiens beneficium conferat b). Clericis regularibus est ille Episcopus proprius, in cuius dioecesi coenobium vel monasterium situm est, in quo ipsi ex mandato suorum superiorum degunt c).

§. 24.

*Litterae dimissoriae.*

Extranei ordinari non possunt, nisi a suo Episcopo litteras dimissorias habeant; quas ille

---

a) Innocentii XII. const. Speculatores. — b) Conc. Trid. ses. 23. cap. 9. de ref. — c) Conc. Trid. Sess. 7. cap. 10. de ref.

dare potest, licet nondum sit consecratus, vel qua Archiepiscopus nondum pallium obtinuerit; idem jus sede vacante capitulo competit; capitulo tamen litteras dimissorias intra annum computando a die sedis vacantis tantum beneficio arctatis, i. e. iis, qui secus periculum incurrent beneficium jam acquisitum amittendi, concedere potest. Dimissio Dioecesani est vel temporalis, si ei concedatur facultas alium Episcopum adeundi tantum recipiendorum ordinum causa, quin tamen suo Episcopo subjectus esse designat; vel perpetua, si simul a potestate sui episcopi penitus eximatur ita, ut perpetuo in aliena dioecesi manere possit. Nostrae leges de hac tantum loquuntur.

§. 25.

*Receptio extraneorum in Dioecesim.*

Juxta nostras constitutiones nullus secularis aut regularis clericus, nisi hic ex tali ordine sit, in quo migratio in regula obtinet, in aliam dioecesim aut ordinis provinciam potest dimitti; et pariter nullus sacerdos in aliam dioecesim vel provinciam recipi, atque ad curam animarum applicari potest, immo nec longius ibidem commorari, si in primo casu datam sibi in aliam dioecesim receptionis promissionem, in altero autem dimissionem a suo episcopo cum requisitis studiorum et morum testimoniosis, vel licentiam abeundi ab ordinis superioribus concessam non exhibeat a). In dimissione theologi dioecesani causa quoque dimissionis et testimonium morum, quod

a) 8 Oct. 1799. 9 Jan. 1803. 19 Nov. 1789.

dimissus meretur, Ordinarii decreto est adjungendum b). Exterarum ditionum presbyteri et candidati absque speciali altissimo consensu in Austriacas dioeceses, monasteria, aut seminaria recipi amplius nequeunt c). Hinc Ordinariatus ad recipiendum extraneum in suam dioecesim aut seminarium praevie gubernii consensum impretrare, atque a recipiendo candidato declarationem exigere tenetur, quod se curae animarum in provinciis Austriacis dicare, se tanquam subditum Austriacum gerere, et libertati, absque praevie obtenta licentia, emigrandi renunciare velit d). Immigrantes presbyteri regulares adeant nostrates ordinum Provinciales, qui eorundem preces adjecta sua sententia, adnotata aetate, acclisis testimoniis studiorum et valetudinis, item adjuncta singulorum declaratione, an tota vita curae animarum vacare, vel monasterium quoddam ingredi cupiant, ad ordinariatum deferre tenentur. Ordinariatus porro rem ad gubernium defert e). Si candidati theologi exteris e ditionibus venientes in theologico cursu jamjam progressi sunt, vel eum plane absolverunt, et Austriaco seculari aut regulari clero incorporari desiderant: obtento praevie Gubernii consensu se ex omnibus theologiae partibus, quas in exteris regionibus absolvunt, in Universitate aut Lycaeо provinciae examini subjicere obligantur, sibique de testimoniis facti examinis prospicere prius, quam altiori cursui adscribantur, aut ad majores ordines admittantur f). Immigrantes vero presbyteri a sic dicto discipulari ex omnibus theologiae partibus examine exempti sunt; nonnisi ab ordinariatu, antequam

---

b) 18 Dec. 1802. — c) 3 Mai 1805. — d) 3 Jun. 1813. —  
e) 18 Jun. 1805. — f) Institut. etc. 10 Mart. 1811, §. II. 4.

ad animarum curam applicentur, rigoroso exanimi subjiciendi, ut constet an puris et talibus theologicis principiis, qualia in nostris institutis traduntur, imbuti sint *g).* Ordinariatus receptionem et ad curam animarum applicationem cuiusvis ex aliena dioecesi advenae sacerdotis Gubernio notificare tenetur *h).* Exteri sacerdotes, qui qua educatores vel qua domestici capellani in domibus Nobilium versantur, finito hocce officio intra ipsis praefigendum tempus, novum ejusmodi officium quaerere et adire tenentur. Illi, qui elapso hoc tempore sine convenienti sustentatione et absque condigna suo statui occupatione apprehenduntur, sunt sine mora ex Austriacis provinciis relegandi. Exterus sacerdos, qui ex mandato consistorii in cura animarum non laboravit, in casu contractae inhabilitatis ad promerendam sibi porro vitae sustentationem salarium deficientium aut qualemque aliud subsidium ex fundo religionis sperare nequaquam potest *i).* Generatim tam ordinariatus quam Gubernia atque dicasteria Politiae politicis et moralibus actionibus sacerdotum, qui ab exteris vel ex neoacquisitis provinciis immigrantes in quacunque haereditaria dioecesi commorantur, sollicite invigilare debent, et quenvis, qui neque curae animarum in tota sua extensione, neque aliis statui suo convenientibus occupationibus se dicat, sine mora ad suae nativitatis dioecesim amandare *k).*

---

*g)* 22 Febr. 1806. 27 Dec. 1810. — *h)* 8 Oct. 1799. —

*i)* 3 Mart. 1806. 3 Mart. 1807. — *k)* 24 Nov. 1814.

§. 26.

*Praescriptum pro ordinatione scrutinium.*

Ut ecclesia de qualitatibus eorum, qui ad sacros ordines destinantur, certior fiat, ante ordinationem triplex ordinandorum scrutinium est praescriptum. 1º uno mense ante collationem sacrorum ordinum nomina candidatorum publice in ecclesia praeleguntur *a*). Hoc non amplius in usu est, ejus locum supplant testimonia a professoribus et seminarii praefectis data candidatis. 2º Aliquot diebus ante ordinationem candidati ad episcopum vel consistorium vocantur examinandi de rebus relate ad ordines scitu necessariis; simulque aliae qualitates a canonibus requisitae inspectis litteris baptismalibus, studiorumque, morum, et valetudinis testimoniis investigantur *b*). Secundum nostras leges candidatos presbyteratus etiam ex scientiis theologicis *c*), magis tamen ex practicis materiis i. e. de administrandis sacramentis, de liturgia, ritibus, et aliis sacerdotalibus functionibus, quam ex theologicis examinare episcopis est permisum, et quidem modo in concursibus consveto scriptotenus respondeant interrogati *d*). 3º in ipso ordinationis actu ordinandis in diaconos aut presbyters ad interrogationem episcopi, an digni sint, ab Archidiacono aut alio Assistente testimonium dignitatis juxta formulam in Romano Pontificali contentam perhibetur *e*), quod iste perhibere potest, modo de indignitate eorum convictus non sit *f*).

---

*a*) Cone. Trid. sess. 23. cap. 5. — *b*) Id. s. 23. cap. 7. —  
*c*) 26 Febr. 1788. — *d*) 26 Sep. 1787. 2 Apr. 1788. —  
*e*) Tit. de ord. diac. et tit. de ord. presb. — *f*) cap. unic.  
de scrut. in ord. faciend.

§. 27.

*Tempus ordinationis.*

Canones ecclesiae pro ordinatione certa tempora determinarunt. Tonsura omni die et quilibet hora, quatuor minores ordines quavis dominica et festa die etiam extra missae sacrificium et omnes una die attamen ante meridiem conferri possunt *a*). Pro majoribus ordinibus observato praecedenti jejunio et sub missae sacrificio conferendis statuta sunt sabbatha quatuor temporum, dies sabbathi ante dominicam Passionis et ante dominicam Paschatis *b*). Porro ordines sua serie gradatim, non vero per saltum sunt conferendi. Praetermissus per saltum ordo supplendus est *c*). Tandem inter unum alterumve ordinem certa interstitia, et quidem inter minores ordines et subdiaconatum, item inter singulos maiores unius anni, non mathematice ex decursu 365 dierum, sed ecclesiastice ab eodem festo ad idem computandi observentur *d*). Cum autem apud nos ordines maiores demum finito cursu theologico conferantur, et propter defectum sacerdotum non possint differri; cum porro subdiaconatui et diaconatui inhaerentia officia partim jam cessaverint, partim ad presbyteros transiverint: vix fieri potest, ut destinati ad ordinationem clerici in quolibet gradu ordinum longiori tempore remoren tur; hinc unice ab arbitrio episcoporum dependet illos ab his interstitiis eximere, iisque ordines intra brevius tempus conferre, per quod simul casus, quo dia-

*a*) Pontif. Rom. tit. de ordin. cap. 3. de temp. ord. —

*b*) cap. 3. de temp. ord. Conc. Trid. S. 23. c. 8. de ref. —

*c*) cap. unic de cler. per salt. promot. cap. 10. de excess.

Praelat. Conc. Trid. S. 23. c. 14. de ref. — *d*) Conc. Trid.

S. 23. c. 11. 13 et 14. de ref.

conus aut subdiaconus inhabilis fieri posset, praevertitur e).

§. 28.

*Locus ordinationis.*

Locus ordinationis debet 1º intra dioecesim seu locus proprius esse, quia nullus episcopus in aliena dioecesi sine consensu ordinariatus ejus loci Pontificalia exercere potest a). 2º locus sacer, saltem cum de conferendis majoribus ordinibus agitur, quia hi tantum sub missae sacrificio conferri possunt. 3º locus publicus, ad quem populo aditus pateat, cum praesentia populi, prout prescriptae in ordinationibus ceremoniae indicant, in hoc actu supponitur. In fine anni solaris Ordinarius consignationem omnium a se elapso anno ordinatorum in presbyteros tam secularium quam regularium clericorum Gubernio provinciae exhibeat, illique attestata adjungat, quibus ordinati de absoluto integro cursu theologico ipsi fidem fecerunt b), vel annotationem subnectat, quare hic aut alter jam ultimo cursus anno ad presbyteratum fuerit admissus c). Testimonia eorum, qui titulum mensae ex fundo religionis acceperunt, utpote Gubernio jam exhibita non est necesse denuo exhibere d).

§. 29.

*Effectus ordinationis.*

Effectus ordinationis sunt sequentes: 1º per eam obtinetur facultas functiones ordinis exequen-

e) 14 Sep. 1792.

a) Conc. Trid. S. 23. c. 8. de ref. — b) 3 Mart. 1783. 14 Jan. 11 Jun. 1789. — c) 13 Mai 1811. — d) 24 Feb. 1810

di, simulque suscipiuntur cum eo connexae obligationes. 2º Speciatim tonsura initatus cooptatur in clerum, sitque ordinum et beneficiorum ecclesiasticorum capax, atque privilegiorum status clericalis sub certis conditionibus particeps *a*). Qui deserit statum clericalem, et dehinc proventibus cum eo connexis fruatur, est cogendus, ut fundo religionis resarciat, quod injuste percepit *b*). 3º Cum subdiaconatu suscipitur obligatio vita comite in statu clericali permanendi, continentiam caelibis status servandi, et horas canonicas dicendi. 4º ordo sacer imprimis characterem indelebilem, qui facit, ut valide susceptus ordo neque iterari, neque ex toto annihilari possit *c*).

## Sectio II.

### De officiis et juribus clericorum.

#### §. 30.

##### *Obligationes clericorum in genere.*

Clerici per sacros ordines suscipiunt officium se totos ministerio Ecclesiae et religionis impendendi, hominesque per institutionem christianam, per exercitia divini cultus externi, atque per virtutum suarum exempla ad virtutem et salutem aeternam manuducendi. Inde profiscuntur generales clericorum obligationes.

1º sunt adstricti ad sectandam morum probitatem, et ad evitandum omne id, quod pro rati-

---

*a)* Conc. Trid. S. 23. c. 6. de ref. — *b)* 24 Aug. 1786. —

*c)* Conc. Trid. S. 7. can. 9. de sacr. — Ses. 23. can. 4. de Sacr. ord.

one status indecorum, populoque offensioni esse posset. 2º Receptis majoribus ordinibus est ipsis vita coelebs injuncta. 3º In vestibus et extrinseca vitae ratione decorem statui suo condignum obseruent. 4º ab occupationibus statui suo non convenientibus abstineant. 5º Implendo muneri sacro et imprimis precibus quotidianis sedulo vacent. Quare Episcopi jubentur praecipuam clericorum juniorum habere curam, ut hi mores vocationi clericali conformes, ad amorem, venerationem et fiduciam populi sibi conciliandam et conservandam comparatos etiam externe praeseferant; in conversatione, corporis cultu et vestitu, quidquid reprehendi posset, fugiant, hacque ratione vilipensionem sui evitent, quae praeter ipsorum contemptum alia adhuc pessima consecaria et noxiun in ipsam Religionem habere posset influ-xum *a*); etenim ad necessariam sibi existimationem et auctoritatem modo durabili comparandam, atque publicis tam ecclesiasticis quam politicis constitutionibus efficaciam procurandam plurimum conterre potest vivendi ratio ipsius cleri, qui sollicitus sit, ne quid ipsi vel ratione personae vel muneric sui vitio verti possit, et Episcoporum sedula vigilantia, qui ingruentia fors vitia cleri statim emendare, atque in futurum adhibitis aptis mediis praecavere studeant *b*).

§. 31.

*Probitas morum.*

Clerici pro status sui conditione morum probitatem singularem praeseferre tenentur. Praepri-mis hortantur et praecipiunt canones, ut ab ebrie-

---

*a)* 17 Nov. 1797. — *b)* 2 Apr. 1802. I. 9.

tate *a*), avaritia et incontinentia *b*) abstineant, atque omne, quod his vitiis ansam praebere aut illorum suspicionem parere possit, diligentissime fugiant. Quare ipsis prohibetur *1<sup>o</sup>* frequentare publicas cauponas *c*), nisi id fiat in itinere aut tempore negotiorum. *2<sup>o</sup>* Immodica et sumtuosa celebrare convivia, aut iis interesse *d*). *3<sup>o</sup>* lusibus aleatoriis *e*), aut aliis etiam cum nimia animi propensione, vel cum studiorum officiorumque neglectu indulgere. *4<sup>o</sup>* Ad choreas, indecora spectacula, aut oblectationes famae vel virtuti suae noxias comparere *f*). *5<sup>o</sup>* Cum mulieribus suspicionem moventibus cohabitare, aut alias nimis familiarem cum foeminis consuetudinem fovere *g*). Si post primam admonitionem se non emendent, beneficiati ipso jure tertiam partem proventuum amittunt, post secundam admonitionem omnes fructus, qui semper in aedificium ecclesiae aut in alium finem impendendi sunt, perdunt; et insuper a beneficio suo suspenduntur. Perseverantes nihilominus in prava vitae ratione suis beneficiis privantur, et in futurum ad beneficia, dignitates ac officia ecclesiastica quaecunque inhabiles fiunt. Relapsi praeterea excommunicandi sunt. Alii sacerdotes autem ab Episcopo pro gravitate culpae carcere, suspensione ab ordinibus, vel declaratione, quod inhabiles facti sint ad obtinenda imposterum beneficia, puniantur *h*).

- 
- a)* Can. 1. 4. dist. 35. cap. 14. de vita et honest. cleric. —  
*b)* Con. Trid. Ses. 25. cap. 14. de ref. — *c)* Cap. 15 de vita et honest. cler. — *d)* Cap. 14. ibid. Con. Trid. sess. 22. cap. 1. de ref. — *e)* Cap. 15. ibid. cap. 11. de excess. Praelat. con. Trid. I. c. — *f)* Can. 19. dist. 34. can. 6. dist. 40. cap. 15 et 12. de vita et honest. cler. Con. Trid. I. c. — *g)* Can. 25. dist. 81. cap. 1 — 9. de cohabit. cler. et mulier. Con. Trid. sess. 25. cap. 14. de ref. — Über das Verhalten des Seelsorgers in Ansehung der Dienstbothen s. theolog. prakt. Monathschrift. 3. Jahrg. 2. Band. — *h)* Cone. Trid. sess. 24. cap. 14. de ref.

## §. 32.

*Coelibatus.*

Jam ante primum Nicaenum Concilium partim ex praescripto particularium Synodorum, partim consuetudine receptum erat, ut clerici post susceptos ordines maiores a ducendis uxoribus abstinerent, ante ordinationem ductas tamen retinere possent. Concilium Nicaenum hanc disciplinam non mutavit, quam adhucdum sequitur ecclesia Graeca unita, et non unita, antiquam aequem retinens consuetudinem, ut nullus uxorem habens, et cum ea coabitans ad episcopatum adspirare possit *a*). In Latina vero ecclesia iam Pontifex Siricius *b*) circa finem seculi quarti generalem coelibatus legem clericis ad maiores ordines promotis imponere conatus est, quam autem demum Gregorius VII. post septem abhinc secula in executionem deducere potuit. Sparso apud nos rumori sub Josepho II. quod de coelibatu cleri in ditionibus Austriacis tollendo agatur, per publicam constitutionem *c*) contradictum fuit. Quin imo maiores ordines et secundum antiquiores leges *d*) et juxta novissimum Codicem civilem *e*) impedimentum matrimonii dirimens constituunt. Idem juris est secundum disciplinam Latinae ecclesiae inde ab initio seculi XII. *f*); in ecclesia vero Graeca maiores ordines nonnisi impedimentum impediens efficiunt *g*).

*a*) Nov. 6. cap. 1. et 5. Con. Trull. can. 12. et seqq. cap. 6. de cler. conjug. — *b*) Epist. ad Himerium Taracon. — *c*) 11 Jun. 1787. — *d*) Ehepatent 16 Jän. 1783. §. 21. Allg. bür. Gesetzbuch v. J. 1787. Hauptstück III. §. 26. — *e*) §. 64. — *f*) Con. Later. II. A. 1139. can. 7. cap. 1 qui cler. vel voyens Con. Trid. Sess. 24. can. 9. de Sacr. matr. *g*) Samuel Klein de Szad dissert. canonica de mat. iuxta discipl. ecol. orient. §. 49.

§. 33.

*Modestia externa.*

Clericus ea praeditus sit modestia externa, qua omnis usus sui venerationem afferat *a*). Imprimis statui suo convenientem vestitum gerat ita, ut per externam decentiam vestium interna morum honestas ostendatur *b*); igitur omnem luxum vitet *c*), et tonsuram deferat *d*). Vestitus cleri primis temporibus a vestitu secularium non erat diversus, decens attamen et modestus esse debebat. Diversitas partim inde orta est, quod clerici usum vestium oblongarum Romanis familiarem tunc quoque retinerent, cum vestitus brevior inundantium provincias Romanas populorum Germanicorum invaluisse; partim inde quod clerici monachos imitarentur, qui in signum poenitentiae vestitu viliori a ceteris discerni amabant. Huic causae est etiam origo tonsurae adscribenda, quae tamen non semper et non ubique eandem habuit formam. In hac re id sequendum, quod in qualibet dioecesi praeceptum, aut communiter in usu est, *e*) et quidem eo magis, quod insigniores ab hoc agendi modo declinationes vanitatem et minutiarum studium indicent, populoque offendiculo sint *f*). Usus quoque armorum, nisi pericula itineris eum reddant necessarium, interdicitur clericis *g*).

---

*a*) Con. Trid. Sess. 22. cap. 1. de ref. *b*) Id. sess. 14. cap. 6. de ref. — *c*) cap. 15. de vita et honest. cler. — *d*) Clement. 2 eod. tit. — *e*) Con. Trid. Sess. 14 cap. 6. — *f*) Vide: Über die Kleidung und Tonsur der Geistlichen theor. pract. Monathschrift 3. Jahrg. 2. B. *g*) cap. 2. de vita et honest. cler.

§. 34.

*Prohibitae clero occupationes.*

Occupationes statui sacerdotali indecorae , ac ideo clericis interdictae sunt sequentes. 1º Mercimonium seu negotiatio quaestuosa , dum merces coemtae dein cum lucro aliis divenduntur *a)*. 2º Conductiones vectigalium et praediorum *b)* , juxta nostras leges etiam conductiones alienarum decimarum *c)*. 3º Servitia militaria *d)* ; nisi fors urgente summa necessitate a suprema potestate exigantur. 4º Munus procuratoris judicialis , nisi causam propriam , ecclesiarum , vel pauperum agant; item munus judicis et notarii in profanis negotiis *e)*. 5º Ars chirurgica *f)*. 6º Omnis sordida et vilis occupatio *g)* , vel opificium. 7º Venatio *h)* , saltem si modum excedat , cum affectu quodam , et molestatione aliorum hominum , aut cum neglectu officiorum clericalium , aliarumque nobiliorum occupationum exerceatur.

§. 35.

*Speciatim interventio in testamentis alienis conficiendis , vel testimonio firmandis.*

Ad impedienda pia legata haeredibus gravia per nostras leges olim omnibus secularibus et regularibus clericis etiam in extrema necessitate , ubi

---

*a)* Can 2. 9. — 12. dist. 38. can 4. dist. 91. cap. 6. ne cler. vel Monachi , cap. fin. de vita et honest cler. — *b)* Can 1. dist. 88. cap. 1. ne cler. vel Monachi. — *c)* 2. Dec. 1790. — *d)* Cap. 2. de vita et hon. cler. cap. 24. de homic. — *e)* Can. 1. 4. 5. Dist. 88. cap. 4. et 8. ne cler. vel Mon. — *f)* cap. 19 de homic. — *g)* Clement. unic. de vita et hon. cler. — *h)* Cap. 1 et 2. de cler. venat.

nulla alia legendi et scribendi perita persona ades-  
set, prohibitum fuit testamentum alienum scribere.  
Eodem modo clerici regurales in casu summae  
necessitatis, non vero etiam clerici seculares, in-  
habiles agendis in testamento testibus declarati  
sunt. Omnia per seculares et regulares clericos  
confecta, item a clericis regularibus qua testibus  
subscripta testamenta erant pro invalidis haben-  
da a). Per novum Codicem civilem secunda, quae  
testimonium spectat, pars harum Theresianarum  
constitutionum expresse mutata fuit. Nunc etenim  
tantum instar regulae obtinet, quod membra or-  
dinis religiosi testamentorum testes esse neque-  
ant b); nam in declarationibus ultimae volunta-  
tis, quae in navigatione, atque in locis pestilen-  
tis, vel contagiosa lue infestatis fiunt, etiam mem-  
bra cujuscunque ordinis religiosi sunt validi te-  
stes c). Sed de prima parte illarum constitutionum,  
quae tractat de conficiendis per Sacerdotes alio-  
rum testamentis, in codice civili universali est  
summum silentium. Estne igitur haec pars illa-  
rum antiquarum constitutionum per novum codi-  
cem civilem extra vigorem posita?

Argumenta hoc affirmandi sunt: 1º per litte-  
ras patentales, quibus codex civilis promulgatus  
fuit, cunctae ad obiecta huius codicis civilis uni-  
versalis pertinentes leges et consuetudines sunt  
sublatae; tale autem obiectum certe est confectio  
et valor testamentorum, ad quae obiecta manifeſte  
respiciunt memoratae duea constitutiones. 2º Le-  
gislatori in confiendo codice civili tenor harum  
constitutionum ob oculos videtur fuisse versatus,  
quia partem illarum sub aliquibus limitationibus in

---

a) 4. Sept. 1771. 25. Jul. 1772. — b) Cod. civ. universalis  
§. 591. — c) Ibid. §. 597.

eum recepit, si alteram quoque partem retinere voluisset, certe non praetermisisset, eam quoque in codicem civilem referre. 3º Nullus locus nostri codicis, qui de scriba testamenti agit, excludit sacerdotes a conscribendis testamentis *d)*, quin imo §. 598 affirmat, quod in testamentis privilegiatis alteruter ex duobus ad id requisitis testibus scriba esse possit. Ast in talibus testamentis etiam membra ordinis Religiosi sunt validi testes; ergo possunt etiam clerici regulares testamentum alienum scribere, eo magis clerici seculares. 4º Ex dispositionibus cod. civ. de conficiendis scriptis testamentis elucet *e)*, nihil interesse, quis illud conceperit; sed solum id attendi, an omnia per cod. civ. praescripta sint observata, ut extra dubium ponatur, scripturam illam voluntati testatoris esse conformem.

Sed haec argumenta quaestionem non liquide resolvunt. Contra quodvis potest gravis formari obiectio. Contra primum: quod iuxta litteras promulgatorias cod. civ. omnes super politicis obiectis vulgatae, iura privata limitantes aut proprius determinantes constitutiones, licet in hoc codice expressa non fiat ad illas provocatio, in suo vigore permaneant. Contra 2dum: Codex civilis potuit omnino de conficiendis per sacerdotes alienis testamentis tacere, quin inde concludi possit, eadem probari, quia codex §. 9. hoc principium statuit: leges tamdiu retinent suam vim, donec a legislatore mutatae aut expresse revocatae non fuerint. Contra 3ium: Ex hoc arguento id solum sequitur, quod in navigatione, et in locis peste aut alia iue contagiosa infestatis etiam a sacerdotibus aliena testamenta confici possint: haec dispositio autem est quaedam exceptio, quae po-

---

*d)* Confer. §. 579, 581, et 595. — *e)* §. 570 — 581.

tius tanquam confirmatio contentae in Theresianis constitutionibus regulae spectari potest. Contra quum: Quae codex civ. de conficiendis scriptis testamentis disponit, habent pro fine, et sunt omnino idonea ad procurandam securitatem, quod scriptura quaedam testatoris veram contineat voluntatem, non sunt vero apta ad impediendum, no voluntas testatoris per svasiones et importunas hortationes exhibiti in scribendo testamento sacerdotis ad faciendas magnas fundationes et relinquenda legitimis haeredibus gravia legata determinetur; quod tamen impediendi clare expressus scopus Imperatricis Mariae Theresiae in edendis memoratis ordinationibus fuerat. Quamobrem praeposita quaestio litibus erit obnoxia, donec authentica legislatoris interpretatione dirinatur. Alia adhuc hic quaestio moveri potest, scilicet: an in cura animarum constituti clericci regulares ultimae voluntatis validi testes sint? Antiqua constitutio ait f): In cura animarum expositi Religiosi, qua testes ad testamenta nuncupativa non sunt admittendi; si vero quis Religiosus per Breve Pontificium legitime secularizatus fuerit, potest abhinc instar sacerdotis secularis, non quidem testamenti scriptor, sed scripti jam testamenti validus esse testis. Combinatio huius constitutionis secum ipsa, et cum praedictis M. Theresiae legibus limites merae doctrinalis interpretationis excedere videtur: sed quaestio ipsa iuxta novum cod. civ. facile deciditur. In cura animarum expositus, at nondum in debita forma secularizatus Religiosus in regula neque in scriptis, neque nuncupativis testamentis validus testis esse potest, quia §. 591. cod. civ. hoc respectu inter nuncupati-

vum et scriptum testamentum, inter expositos et non expositos per parochias Religiosos nullum discrimen facit. Exceptio fors locum habet quoad illos Religiosos, qui in talem statum collocati sunt, ut iuxta politicas constitutiones amplius qua membra ordinis aut coenobii vel claustrorum non possint considerari, i. e. qui ante 25am Martii 1802 in cura animarum constituti ad propositam sibi quaestione reposuerant se constanter in cura animarum mansuros, neque imposterum ad coenobium vel conventum rewersuros, quin tamen de legitima secularizatione sibi providissent, partim quia eiusmodi Religiosi iuxta nostras leges *g)* secularibus sacerdotibus exaequantur, partim quia eorum intuitu ratio legalis, quod pia legata et fundationes pro suis religiosis communitatibus sint sollicitaturi, evanescit. Legitime secularizatus Religiosus contra, sive sit in cura animarum expositus, sive non, tam in scriptis quam nuncupativis testamenti validus testis esse potest, nam secundum nostras leges *h)* sacerdoti seculari aequiparatur, quem codex civilis a dando testimonio nequaquam excludit.

### §. 36.

#### *Obligatio ad curam animarum.*

Clericus per Presbyteratus ordinem nanciscitur facultatem et officium suscipit doctrinam Christianam praedicandi, et Sacraenta administrandi. Essentialle igitur officium cujusque Sacerdotis qualis est cura animarum, a qua nemo eorum sal-

*g)* 2. Apr. 1802. II. n. 10, 15. Oct. 1803, Cod. civ. un. §. 573.

*h)* 9. Nov. 1781. 14 vel. 28 Dec. 1786. 4. Jan. 1787.

tem in casu necessitatis se eximere potest. Etiam nostrae leges quemvis sacerdotem supponunt simul curatorem animarum esse debere <sup>a)</sup>). Quilibet ergo Sacerdos huic vocationi adimplendae per continuatam tum religioso-moralem tum litterariam animi culturam in dies magis idoneum se reddere tenetur, negotiisque et functionibus, quas cura animarum exigit, summo zelo incumbere.

### §. 37.

#### *Officium Precationis.*

Precibus vacare sub multiplici respectu peculiare Sacerdotum constituit officium, primo quia speciale medium, et adjumentum virtutis est; dein quia pro populo tenentur orare, tandem quia in omnibus pietatis et divini cultus operibus suae communitati bono exemplo praelucere debent. Genus orationum seu precum sunt sic dictae horae *Canonicae*, quae *Psalmodia*, lectionibus e sacra scriptura et s. patribus excerptis, diversisque aliis precibus constant, suumque nomen inde trahunt, quod statis diei ac noctis horis fieri debeant. Istaे horae in antiqua ecclesia publicum, clero et populo communem, Dei cultum efficiebant. Quisque Sacerdos ad has persolvendas in illa ecclesia, pro qua fuit ordinatus, adstringebatur: sensim vero ad *Canonicorum cathedralium*, et *collegiorum*, ac *ordinum religiosorum chorum*, et quoad singulos Sacerdotes ad privatam sic dicti *breviarii* lectionem fuerunt restrictae. Prout igitur olim, dum horae *Canonicae* publicam constituebant devotionem, clerici his interesse debebant: ita quo-

<sup>a)</sup> 3 vel 17 Mart. 1792 §. 3.

que postea per consuetudinem invaluit, ut omnis clericus majoribus ordinibus insignitus, aut beneficio gaudens quotidie easdem recitare teneatur *a*), et quidem beneficiatus sub poena amittendorum in parte proportionata fructuum beneficii, qui fabricae ecclesiae vel sustentationi pauperum cedant; id, quod etiam plures conciliorem canones innuunt *b*).

§. 38.

*Praecipua Jura cleri.*

Supradictis gravibus cleri obligationibus respondent etiam praecipua quaedam iura clericorum. Haec consistunt 1<sup>o</sup> in privilegio fori, 2<sup>o</sup> in decenti agendi modo ex parte magistratum secularium erga illos observando. 3<sup>o</sup> in exemptione a personalibus statui ecclesiastico non convenientibus servitiis, 4<sup>o</sup> in personali inviolabilitate, sive privilegio canonis, 5<sup>o</sup> in beneficio competentiae.

§. 39.

*Privilegium fori clericalis.*

Juxta commune jus ecclesiasticum clerici in causis civilibus actione personali tantum coram judice ecclesiastico conveniri; voluntariae jurisdictionis negotia, e. g. haereditates clericorum concernentia, non nisi a judice ecclesiastico tractari, cunctaque crimina illorum solum ab eodem

---

*a)* Can. q. dist. 92. cap. 1. q. de celebr. missar. — *b)* Conc. Basil. Sess. 22. can. 5. Lat. V. Sess. 9. §. statuimus. Vide Von der besondern Verpflichtung der Geistlichen zum Gebete, theol. pract. Monathschrift, 2. Jahrg. 2. Bd.

investigari possunt a). Huic privilegio fori clericorum nullatenus renunciare possunt, partim quia id ex jure divino olim derivabatur, partim quia tanquam concessum toti clericali statui privilegium spectabatur, cui singula membra derogare nequeunt b). Sed cum privilegium fori ecclesiastici in civilibus et criminalibus clericorum causis tantum expressae vel tacitae Principum terrae concessionis adscribendum sit: in Austria etenim est sublatum, quatenus omnia negotia secularia per judicia secularia tractanda sunt. Neque consistorium Augustanae confessionis contra normam Jurisdictionis sibi Jurisdictionem aliquam in personas Ecclesiasticas arrogare potest c). Caeterum etiam per nostras leges fere omnibus in casibus clericis concessum est forum privilegiatum inter secularia.

### §. 40.

#### *In civilibus contentiosis et non contentiosis causis.*

Josephus II. Imperator jurisdictionem in causis civilibus clericorum, contentiosis aequo ac non contentiosis, id est in causis voluntariae jurisdictionis transtulit ad fora ordinaria, proinde clericorum nobilium ad forum nobilium provinciae, ignobilium ad forum districtus, in quo degebant a). Etiam monachi quacunque ratione in cura animarum constituti in omnibus suis negotiis subjace-

---

a) Can. 47. caus. 11. q. 1. Tit. de foro compet. Con. Trid. sess. 24 et 25. cap. 20. de ref. can. 4 et 5. caus. 11. q. 3. can. 2 et 5. caus. 21. q. 5. — b) Cap. 12 et 13. de foro compet. cap. 3 et 4. de jud. — c) 14 Oct. 1793.  
a) Jurisdictiones norm v. 27. Sep. 1783. §. 26. 27. — Vdgen v. 28. Jul. 1783. 7 Mart. et 30 Sept. 1785. d.

bant civilibus foris ordinariis b). Leopoldus II. Imperator ignobiles clericos tam in contentiosis causis, quam negotiis haereditariis subiecit jurisdictioni illius legitime organizati Magistratus civici, cui adscriptus fuit Decanatus, ad quem pertinebant c). Tandem Imperator Franciscus ab initio tantum jurisdictionem in clerum Catholicum ignobilem ad fora nobilium cujusque provinciae transtulit d); posthac vero huic foro etiam ignobiles ministros Augustanae et Helveticae confessionis, qui ordinationem ad munus pastorale receperissent e), item Graecum non unitum clerum in Bucovina subjicit f). Jurisdictio olim proxime jacentibus magistratibus in clericos ignobiles tributa ad pensionatos fratres laicos, exmoniales, aut ad personas quatuor tantum minoribus insignitas non extendebat g). An vero ad clericos hosce minores jurisdictio fori nobilium nunc extenditur? Ad clerum juxta jus canonicum certe pertinent minoristae; sed cum ad forum nobilium tantum competens olim adjacenti magistratui jurisdictio translata sit, et cum forum civicum, quo tamen minoristae digni non sunt visi, certe minor sit praerogativa respectu ignobilium, quam sit forum nobilium; dubitari vix potest, minoristas eidem non subesse. Ignobilis igitur clerus, qui juxta regulam generalem pro sua personali qualitate foro ordinario loci subjectus esset, pertinet hodie ad forum nobilium; et in hoc ipsius privilegium relate ad forum consistit. Inde est quod clerici etiam in solvendis taxis judiciariis et mortuario nobilibus aequiparentur h); nec ipsis

---

b) 2 Oct. et 29. Nov. 1788. — c) 29 Oct. 1790. 11 v. 18 Mart. 1791. — d) 2 Apr. l. 7. 26. Apr. 1802. — e) 15 Mai v. 17 Jun. 1803. Gubernial Decr. in Böh. v. 22 Sept. 1812. — f) 13 Jun. 1805. — g) 20 Febr. 1794. — h) 4 Aug. 1802.

liceat, suo privilegio fori renunciare *i*). Etiam capitula, coenobia et claustra, si in corpore conveniantur, ad fora nobilium spectant *k*). Generatim jurisdictione fori nobilium in clerum ignobilis tunc tantum fundata est, si is actione personali conveniatur, aut si in bona cuiuspiam Individui ex clero creditores immitantur *l*); nam qua actor sequitur clericus forum rei, et si actio propter ius reale ratione boni immobilis contra ipsum moveatur, haec coram eo judice instituenda est, cuius jurisdictioni bonum immobile subest *m*). De cetero clerici qua testes in judicio exhibiti ad juramentum adstringi possunt *n*). In casu arresti personalis in clericum propter debita decreti consistorio custodiendus tunc tantum tradi potest, si creditor gravi argumento probare non valeat, se periclitari, ne concessa sibi executio hac ratione frustretur *o*).

### §. 41.

#### *In Delictis civilibus.*

Delicta clericorum vel sunt mere civilia, vel mere ecclesiastica, vel mixta, quae ex triplici qualitate clerici qua civis, qua Presbyteri vel Diaconi etc., et qua animarum curatoris oriuntur. Delictorum civilium clericus fit reus per transgressionem legum civilium. Haec merentur secularem poenam, et respectu eorum clericus judiciis secularibus subjicitur. Delicta clericorum civilia sunt vel delicta politica vel crimina; prout

---

*i*) 5. 9 et 25. Oct. 1804. — *k*) Jurisdictionsnorm. §. 26. ff. —

*l*) 17 Apr. 1777. Concursord. 1 Mai 1781. §. 1. — *m*) Jurisdictionsn. §. 9. — *n*) 11 Sept. 1784. aa. — *o*) 14 Mart. 1786.

pro Boh.

in codice poenali in numerum illorum vel horum referuntur, illorum poena non ab Episcopo, sed a politicis magistratibus, horum a judicio criminali est decernenda *a*). In delictis politicis investigatio quoad clericos extra provinciarum metropoles, ubi a Magistratu fieri debet, semper a praefectura circuli facienda est, quae ob magnam distantiam aut poscentibus gravibus adjunctis quempiam circuli officiale ablegare, in casibus vero minoris momenti et ad sublevandum inculpatum inquisitionem in magistratum localem aut quem alium transferre potest *b*). Ad inquisitionem in clericos faciendam tunc tantum ecclesiasticus Commissarius ab ordinariatu postulandus et ab eodem etiam dandus est, si inquisitio ob officia sacerdotalia fiat, aut si investiganda sunt objecta qualitatis et naturae spiritualis; in mere autem secularibus negotiis clerici tanquam cives considerandi et par cum aliis civibus ratione tractandi *c*). Si vero membrum ecclesiastici status Religionis christianaee accusetur criminis alicujus, magistratui metropoleos ejus provinciae, in qua deprehensus fuit, inquisitionis instituenda et sententiae ferenda ergo est tradendum *d*). Judicium criminale statim post summariam inquisitionem tribunalij appellationis rem notificare obligatur, a quo dein Episcopo vel spirituali provinciae Superiori notitia haec communicetur *e*). Sententia judicio appellationis, nisi alioquin ab illo ferenda foret, una cum actis submitti debet. Judicium appellationis crimen rei et latam sententiam episcopo aut spirituali provinciae

---

*a)* 17 Mart. 1791. §. 3. n. 2. 3. v. 17 Mart. 1792. §. 2. Gesetzbuch über schwere Polizey Übertretungen §. 276. Gesetzb. über Verbrechen §. 211 et 212. — *b)* Gesetzb. über schwere Pol. Übertret. §. 284 et 285. — *c)* 29 Nov. 1788. — *d)* Gesetzb. über Verbrechen §. 221. — *e)* Ibid. §. 304.

superiori significare tenetur, ut reus condemnatus sua dignitate aut gradu moveri possit. Si vero judicium appellationis de hac depositione intra 30 dies post impertitam episcopo notitiam certius non reddatur; sententia vulganda et exequenda est f). Praedicta depositio condemnati consistit in degradatione g). Haec tamen indicatio criminis et latae desuper sententiae in casu infimae carceris poenae, quae juxta 23 §. codicis criminalis amissionem status post se non trahit, praetermittenda est h). In casibus, ubi criminis accusatus clericus forte publico officio e. g. qua professor fungitur, vi verborum et sensus §. 446 codicis criminalis Episcopo cum indicatione commissi a clero criminis lataeque sententiae nequaquam etiam Acta judicialia, e contra vigore §. 447 dicaesterio, ad quod condemnatus tanquam officialis publicus spectabat, cum lata sententia simul Acta per Judicium appellationis sunt submittenda i).

### §. 42.

#### *In delictis ecclesiasticis.*

Delictorum ecclesiasticorum in sensu proprio clericus fit reus, qui officia violat, quae ipsi vi majorum aut minorum ordinum, quatenus hi in se tantum et absque relatione ad curam animarum considerantur, incumbunt e. g. si injunctas sibi functiones ecclesiasticas vel totaliter negligit, vel contra ordinem peragit; si statuta canonica de vita honestate clericis conveniente non observat, si per propensionem ad lusum, et ebrietatem, per suspectam et prohibitam cum faeminis famili-

---

f) Ibidem §. 446. — g) 20 Aug. 1787. — h) 14 Apr. 1805. — i) 26 Apr. 1806.

aritatem contra disciplinam atque moralitatem agit. Circa haec et similia delicta soli Episcopo inquisitio, cognitio, et adnimadversio per proportionatas ecclesiasticas censuras et poenas spirituales competit *a*). Et cum Episcopis vi dignitatis suae immediata directio curae animarum et disciplinae ecclesiasticae incumbat, seu ut alia constitutio dicit, cum Sacerdotes quoad munera sui functiones, quoad doctrinae et disciplinae negotia Episcopis subsint: etiam minora delicta clericorum in externis actionibus, vel exequendo suo munere commissa, quandiu haec ad internam disciplinam spectant, et neque in crimina degenerant, neque ad statum publicum relationem habent, tanquam mere spiritualia delicta spectanda, et ab Episcopis, poenis ecclesiasticis e. g. suspensione a celebrando sacrificio, a concione dicenda, a confessione audienda etc. item poenitentiis e. g. jejunio, spiritualibus exercitiis castiganda sunt *b*).

§. 43.

*In delictis mixtis.*

Pro mixtis clericorum delictis reputantur transgressiones ab animarum curatoribus in exteriori vitae ratione, et in adimplendis munera sui partibus commissae, si iisdem impediendis poenae ecclesiasticae non sufficiunt; si publicum scandalum in parochia, accusations et delationes procreant; si rempublicam generatim, vel peculiares politicas institutiones, quarum cura clericis concredita e. g. scriptionem baptizatorum, copulato-

---

*a)* 3. v. 17 Mart. 1792. §. 1. — *b)* 3. v. 17 Mart. 1792. §. 3 et 17 Mart. 1791. §. 3.

rum et mortuorum protocolli, rem scholasticam, et pauperum curam concernunt; si observationem legum civilium et felicem politicarum institutionum successum impediunt: quia tunc objectum internae disciplinae esse cessant, et non tantum spiritualibus, sed etiam secularibus poenis, igitur communi politicorum et ecclesiasticorum Superiorum cognitioni subiacent. Inquisitio earum non ab ordinariatu solo, sed per commissionem ex ordinariatus spiritualibus et circuli secularibus officialibus compositam facienda, et ab ea votum commune Gubernio exhibendum est. Idem quoad omnia ab animarum curatoribus admissa delicta observandum, quae amissionem beneficii, vel retentionem proventuum temporaneam necessariam reddunt, nam tali casu simul de poena seculari agitur, cuius decernendae jus seculari magistrati soli competit *a*). In hoc sensu etiam illa constitutio sumenda est, juxta quam suspensio ab officio, sequestratio parochialium proventuum et beneficiorum tantum per judicia secularia, et totalis parochiarum aut beneficiorum privatio non nisi cum consensu Episcoporum mediante formalis sententia ex actis ferenda fieri potest *b*). Si post factam inquisitionem alicujus beneficiati Gubernium eum amovendum esse autemet, ordinariatus autem ab hac opinione recedat: Gubernium solum amotionem decernere non potest; sed acta Dicasterio Aulico exhibere, et casum ejusdem decisioni substernere tenetur *c*). Tandem gravamina, quae illegales exactiones stolae concernunt, a dicasteriis politicis, communicato cum ordinariatu consilio, dijudicentur *d*). Procedendi in hac

---

*a*) 3. v. 17 Mart. 1792. §. 3. — *b*) 17 Mart. 1791. §. 3. n. 2. —

*c*) 7 Mart. 1807. — *d*) 17 Mart. 1791. §. 3. n. 3.

re modus per duas constitutiones antiquiores proprius determinatur. In una praecipitur, ut gravamina ob excessus stolares a clero patratos ad praefecturam circuli deferantur, ab eaque decidantur; quod si aliqua pars sententia hac non foret contenta, liberum sit ei, ulterius suum jus persequi e). In altera praefecturis circuli et officialibus oeconomicis dominiorum injungitur, ut contra parochos et animarum curatores propter excessivas stolarum exactiones mota gravamina semper ad consistoria deferant, et inde remedium quaerant; quo haud allato se ad politicum provinciae dicasterium convertant f). Ex principiis, a nostra legislatione quoad mere ecclesiastica et mixta cleri delicta statutis facile intelligitur, quare praefecturis circulorum, et oeconomicis dominiorum officialibus injungatur, compertos in administranda cura animarum defectus e. g. desidiam in explendis incumbentibus curatori animarum officiis, et contraria legibus civilibus factae eorumdem primo ad forum ecclesiasticum, et tunc demum, si nulla inde medela feratur, ad Gubernia deferre g).

### §. 44.

#### *Modesta cleri tractatio ex parte secularium magistratuum.*

Ad clerum contra indignas officialium secularium tractationes defendendum diversae sunt editae constitutiones. Si aliquis in vestitu clericali per excubitores in custodiam ducendus sit: id semper vel in curru coperto, vel sella portatili,

e) 10 v. 18 Jul. 1783. — f) 26 Jul. 1782. — g) 17 Mart. 1791. §. 4. n. 4. 26 Jul. 1782.

aut noctis tempore fiat, ut tales personae, in quantum possibile, Publico ignotae maneant *a*). In carcere inquisitionis contra clericum prudenti cum moderatione et justa cum decentia procedendum est *b*). Animarum curatores diebus dominicis et festis neque ad judicium evocandi, neque ex alia quadam ratione citandi sunt. Est quoque praefecturis circulorum et officialibus dominiorum prohibitum, sua potestate ultra praefixos limites in contemptum dignitatis episcopalis, et injuriam ministrorum ecclesiae abuti; immo jubentur contra clerum in cura constitutum ea cum moderatione et observantia procedere, quae clericali statui propter ejus utilitatem et gravitatem debetur *c*). Huc etiam pertinet, quod mandata a Guberniis danda huic non nisi per praefecturam circuli sine interventu alterius magistratus localis sint significanda; et quidem singularia ipsi animarum curatori, quem attinent; generalia autem, aut si de correctionibus, quas Decanum scire oportet, agatur, mediante Decano intimanda sint *d*).

§. 45.

*Exemptio a quibusdam Servitiis.*

Clerici porro ab illis personalibus servitiis reipublicae praestandis eximuntur, quae cum officiis sacris conciliari nequeunt. Huc spectat in specie exemptio a militia *a*), et in parte exemptio a gerendis tutelis et curatelis. Clericis religiosis in regula nulla tutela deferenda est *b*), ast ejus ge-

---

*a)* 22 Jul. 1780. — *b)* 19 Jul. 1789. — *c)* 17 Mart. 1791. §. 9.  
n. 3, 4. — *d)* Rggsverdg. v. 19 Mai 1804.

*a)* Conscriptions-Patent v. 25 Oct. 1804. §. 8 et 14. — *b)* Cod.  
civ. §. 192.

rendae, si ipsis a magistratu deferatur, non sunt incapaces secundum verba §. 192 codicis civilis, quemadmodum incapaces non sunt nominatae in §. 194 personae, quae in regula etiam ad tutelam non sunt promovendae. Lex certe remittendo ad §. 198 etiam determinat casum exceplum, in quo clericis regularibus tutela committi potest, si nempe testamentarius tutor, paternus avus, mater aut materna avia deficiat, et tantum vir religiosus supersit, qui pupillo proximus aut intra aequales cognatos senior existat. Manifesta §° 192 fit injuria, si post enumerationem mulierum, religiosorum, et alienigenarum sequentem clausulam: in regula, et immediate posthac per citationem §. 198 indicatam exceptionem ad personas solum sexus faemini trahamus. Etiam pro clericis regularibus et alienigenis, si hi pupillo proximi cognati sint, aequa gravia, ac pro matre et avia momenta, nonnunquam pugnant, eos aliis preferendi. Adnexus codici civili index est opus privatum, quod per se nullam habet auctoritatem. Clerici seculares contra suam voluntatem ad suscipiendam tutelam non sunt adigendi c). Quod de tutelis dictum, valet pariter de curatelis d).

### §. 46.

#### *Inviolabilitas personalis, seu privilegium canonis.*

Jus personalis inviolabilitatis, a 15° canone II<sup>o</sup> Lateranensis concilii, in quo fundatur, privilegium canonis dictum, consistit in eo, quod ii poenam excommunicationis incurant, qui alicui clero aut monacho, svalente diabolo, id est ex

---

e) Ibid. §. 195. — d) Ibid. §. 281.

proposito et illico modo manus violentas inferunt; aut huius violenti facti jussu, consilio, aut adprobatione participes fiunt *a*). Apud nos si de dictanda excommunicationis poena ex hac causa agatur, res tota per ecclesiasticos et seculares Commissarios pari numero praesentes, nempe duos ex clero, duos ex seculo, quorum illi ab Ordinariatu, hi a Gubernio pro quovis singulari casu nominandi et in metropoli provinciae ex consiliariis Gubernii, ruri vero seu extra metropolim ex Capitaneis circulorum illisque Adjunctorum sumendi sunt, investiganda venit. Seculares Commissarii in hac investigatione qua Principis consiliarii prooedriam tenent, spirituales vero constitutum conficiunt. Si inter inquirentes Commissarios super quodam incidenti puncto dissidium exoriatur, utraque pars rem ad suos Superiores referat, indeque decisionem expectet. Finita inquisitione protocollum eam continens, retenta per politicos Commissarios authentica eius copia et sine eorum votis Ordinariatui pro ferenda sententia exhibeat. Hic latam sententiam promeritae excommunicationis Gubernio communicet, ut ad Aulam pro obtinendo placeto Regio mittatur. Obtento consensu Regio, qui tamen solum de civilibus excommunicationis effectibus intelligendus est, superior ecclesiasticus sententiam promulget, et sub assistentia politici Magistratus exequatur *b*).

§. 47.

*Beneficium Competentiae.*

Vi privilegii competentiae, quod proprie non in capitulo: Odoardus, collectionis Decreta-

---

*a)* Can. 29. caus. 17. q. 4. — *b)* 16 Jul. 29 Aug. 23 Sept. 1768.  
17 Jun. 1775. 26 Aug. 1785.

lium a) Gregorii IX. sed tantum in jure consuetudinario fundatur, clero obaerato et ad solvendum impari ex suis proventibus tantum reliquendum est, quantum ad sustentationem statui suo congruam requiritur, ne ei sit necesse mendicando, aut alio quaestu sordido victum quaerere. Apud nos hoc beneficium ita determinatum est, ut bona beneficiaria quoad substantiam neque retentioni judiciali, neque executioni subjici, redditus vero beneficiorum, in quantum clero ususfructus et administratio eorundem competit, ita retentioni judiciali et executioni subesse possint, ut ex his clero ante omnia sustentatio, quae in congrua 300 florenorum annuorum consistere debet, salva maneat b).

### Sectio III.

#### De Clero regulari.

##### §. 48.

###### *Divisio.*

Hac sectione praeprimis de statu cleri regularis generatim, dein de singulis ejus speciebus agendum erit. Sub respectu primo enarrata ejus origine, data notione, praemissa diversarum specierum cleri regularis cognitione praecipue considerabimus id, quod sub ingressum ordinis, tempore permissionis in eo, item in egressu ex ordine tam de subordinatis quam de Superioribus non tantum quoad disciplinam et alias obligationes,

---

a) Cap. 3. de solut. — b) 8. v. 15 Jul. 1791.

sed etiam quoad temporalia observandum est. Sub posteriori autem respectu de ordinis Teutonici et Melitensis equitibus ac de monialibus breviter quae-dam referemus.

§. 49.

*Origo cleri regularis.*

Jam in antiquissima ecclesia erant sic dicti ascetae, qui severiori et solitaria vivendi ratione se a ceteris christianis distinguebant. Imprimis vero accidit grassante persecutione sub Decio Imperatore seculo tertio, ut multi christiani in eremos fugerint, ibique talem asceticam vitam duxerint, quare dein ob solitudinem nomen monachorum obtinuerunt. Seculo quarto Pachomius hos solitarie viventes monachos sub uno capite in societas congregaverat, et abinde nominabantur coenobitae. Basilius in oriente primus eos transtulit in civitates. In occidente's. Benedictus seculo sexto eos certae regulae subjecit, quae longo tempore usque ad XIum seculum omnibus monachis communis fuit. Ab hoc vero tempore adeo multae novae regulae inventae, et tot novi ordines tamque diversi fuerunt constituti, ut ipsum Concilium Lateranense IV. et Lugdunense II. a) erectionem novorum ordinum prohibere necessarium existimarent, sed conatus hic effectu caruit.

§. 50.

*Fata regularium in Austria.*

Quoad fata cleri regularis in Austriacis provin-

---

a) Cap. fin. de relig. domib. cap. unic. eodem tit. in 6°.

ciis diversas reformationis periodos licet animadvertere sibi invicem subsecutas Jam M. Theresia reformationem cleri regularis inchoaverat determinando speciatim professionis aetatem, acquisitioni honorum per amortizationis legem limites ponendo, studia eorum emendando, et multos abusus tollendo. Haec reformatio Josepho imperante per sublationem exemptionis et connexionis cum exteris Generalibus, per reductionem multorum monasteriorum, per applicationem cleri regularis ad animarum curam, et per impensionem honorum monasticorum ad publicam religionis utilitatem consummata fuit. Novissimae tandem constitutiones, quin anteriores leges quoad fundamenta mutent, pro scopo habent, ut interitus cleri regularis praepediatur, collapsa disciplina monastica restauretur, et regulares religioni et reipublicae variis modis utiles reddantur.

### §. 51.

#### *Notio Cleri regularis.*

Essentialia requisita ad genuinam cleri regularis notionem haec sunt: 1º quod certam a Pontifice approbatam regulam profiteantur, juxta quam vitam agere obstringuntur. 2º quod in communitate sub propriis Superioribus vivere teneantur. 3º quod vota solemnia paupertatis, castitatis et obedientiae emittere debeant. Clerici primis duabus notis instructi ast nullo solemnni voto obstricti appellantur quasi regulares, tales e. g. patres congregationis oratorii in Gallia sunt auterant. Status clericatus cum monachali originetenus non fuit conjunctus a). Hanc conjunctio sensim tantum

---

a) Can. 6. caus. 16. q. 1. L. 52. cod. de episc. et cleric.

facta est in monachis singulis, qui ad functiones ecclesiasticas in templo monasterii obeundas necessarii videbantur. Tandem seculo 14<sup>o</sup> generalis fuit lata lex, ut omnes monachi, quotquot habiles reperirentur, ad monitionem sui Superioris sacros ordines suscipiant b). Quare hodiecum adhuc in clero regulari differunt clerici, et fratres laici seu conversi, quorum illi choro et curae animarum aliisque spiritualibus functionibus, hi laboribus manualibus et domesticis servitiis se impendunt. Secundum nostras leges Professi ingenio carentes, ordinibus sacris necdum initiati, qua laici domesticis operibus applicentur; jam ordinati vero in presbyteros ad nullas curatoris animarum functiones admittantur c). In suscipiendis novis fratribus laicis nullo in casu numerus claustrī necessitatibus sufficiens excedatur d):

§. 52.

*Statuta ordinum:*

Cum regula ordinis constitutiones seu statuta non sunt confundenda, quae tantum sunt propriæ determinationes receptæ semel regulæ, et novae ad eandem additiones. Apud nos condere nova statuta in provincialibus coenobiorum capitulis est prohibitum a). Hactenus vero observata temporis et circumstantiis convenientia ordinum statuta, in quantum per constitutiones politicas non sunt mutata, in suo vigore permanent, ita tamen modificanda et primitivis statutis approximanda sunt, ut per ea diminuta Superiorum auctoritas;

b) Clement. i. §. 5 de statu monach. — c) 17 Jun. 18 Nov.

1784. — d) 24 Jan. 1811.

a) 15 Dec. 1785.

collapsaque disciplina restauretur, atque antiquus in statutis fundatus ordo rerum b), in quantum possibile, redintegretur. Loca et expressiones in regula ordinis et statutis occurrentes, quae aliquid modernis aut futuris constitutionibus politicis contrarii continent, praelegi prohibentur, delerique aut bene obduci debent c).

§. 53.

*Diversae ordinum religiosorum species.*

A diversitate regularum et constitutionum pendet etiam varietas ordinum religiosorum. Nos hoc tempore sequentes ordinum species habemus: 1º Monachos i. e. Coenobitas, qui antiquam s. Benedicti regulam sed sub certis modificationibus retinuerunt. 2º Canonicos regulares s. Augustini, quorum origo in jure ecclesiastico publico monstratur. 3º ordines equestris et Aespitaliariorum, qui occasione expeditionum cruciatarum ad defendendos peregrinatores et curandos infirmos exorti sunt, quo pertinet Melitensis seu Joanniticus et Teutonicus ordo. 4º Mendicantes et eremitas, qui ad exstripandas haereses et subsidium curae animarum ordinariis pastoriibus praestandum instituti sunt. Ad mendicantes spectant Dominicani et Religiosi regulae S. Francisci ab Assis; ad eremitas Carmelitae et Augustiniani. 5º Clericos regulares, qui eruditionem juvenitatis scholasticae et emendationem morum et discipline etc. pro scopo habent, uti sunt Piaristae, Jesuitae, et Barnabitae. His accedunt

6º Moniales, quae diversas ordinum masculorum regulas sequuntur. Apud Religiosos Ordinis regulae s. Benedicti e. g. apud proprie sic dictos Benedictinos, Cistercienses etc. item apud Regulares Canonicos prout et apud Moniales stabilitas loci i. e. integro vitae tempore duratura in eodem monasterio commoratio; apud alios vero mutatio loci est introducta, quae facit, ut ex uno claustro ejusdem ordinis ad aliud ex mandato suorum superiorum migrare debeat.

§. 54.

*Receptio Candidatorum.*

Per nostras leges quoad ingressum ordinis religiosi nulla certa acta est praefixa a), ingressus tamen hic nonnisi absoluta philosophia est licitus b), et consuetudo culturae cleri regularis adeo perniciosa, candidatos nempe ante finitam philosophiam recipiendi, generaliter sublata est c). Hinc claustra suos Candidatos inter absolutos philosophiae auditores quaerere debent d). Tantum scholis piis concessum est Candidatos immediate post absolutum gymnasticum cursum recipere e). Etiam ordinibus generatim utilibus, imprimis vero quoad curam animarum in civilibus et militaribus nosocomiis, item tempore epidemiarum in civitatibus et pagis apprime necessariis Capucinorum et Franciscanorum, ad procurandum illis majus succrementum, receptio candidatorum statim absolutis humanioribus studiis est iterum permissa f). Ordinum Praepositis injungitur, ut in electione et

a) 17. Oct. 1770 — b) 2 Apr. 1802 II.8 — c) 19 Mart. 1807 —  
d) 1 Oct. 1788. 10 Feb. 1791 — e) 26 Mai 1790 — f) 24  
Jan. 1811 —

receptione suorum Candidatorum semper tales respiciant juvenes, qui non solum proborum sint morum, sed etiam boni ingenii, adeoque spem faciant aliquando ex iis prodituros idoneos professores *g*). Juvenes, qui jam quendam ordinem sine causa duntaxat propterea, quia in eo non invenerunt id, quod nullibi inveniri deberet, deseruerant, alterius coenobii vel provinciae Praepositus non facile inter suos recipiat, multoque minus illos exnovitios aut clericos, qui propter morales aut physicos defectus a Superioribus jam alibi dimissi fuere *h*). Nullus candidatus sine testimonio scholae normalis, quod nempe tam objectorum litterariorum, quam etiam methodi docendi sufficientem habeat cognitionem, in aliquem ordinem *i*), et exteri Candidati, licet immigrantes Sacerdotes essent, nullatenus sine licentia aulica recipi possunt *k*); Candidati vero ex alia dioecesi vel ordinis provincia venientes non secus, quam si praeter legitima studiorum et moralitatis testimonia dimissionem quoque ab Episcopo vel ordinis Superiore obtentam exhibeant *l*). Austriaci parentes sine obtento praevie Imperantis consensu suas proles in extera monasteria mittere non possunt; secus tales subditorum proles utriusque sexus in poenam consensum ad emigrandum nunquam obtinebunt *m*). Si theologus in Seminario episcopali educatus vel extra hoc alumnatus stipendio provisus vocationem ad coenobium sequatur, istud fundo Seminarii vel stipendii expensas restituere debet *n*). Pari modo si Candidatus scholarum pia-

---

*g*) 3 Mai 1807 — *h*) 14 Apr. 1802 — *i*) 18 Sept. 1777. 28 Dec. 1780. — *k*) 3 Mai 1805. 27 Sept. 1798. 24 Jan. 1811. — *l*) 9 Jan. 1803. 17 Feb. 1797 — *m*) 11 Sep. 1779 — *n*) 17 Feb. 1797.

rum finito Novitiatu pluribus annis in ordine litteris vacavit, et dein in alio coenobio recipiatur, expensae in ejus sustentationem factae ordini debent compensari o). Coenobia et claustra, quae educationi juventutis altioribusque scientiis intra vel extra suos muros operam dant, libere tot Candidatos idoneos recipiunt, quot in hunc finem indigent, et ex suis proventibus sine gravamine fundi religionis atere possunt p). Provincialis aequa fratrum misericordiae sine praevio consensu pro necessitate et ordinis facultatibus candidatos recipere potest, ea tamen sub conditione, ut de anno ad annum Gubernio receptorum nomina et numerum exhibeat q). Alia coenobia et monasteria, quae vigore regulationis perseveratura sunt, habent numerum fixum, quem semper retinere debent r). Licentia recipiendi Candidatos intra numerum fixum s) ab initio ordinibus a Gubernio competente dabatur t), postea vero omnes ad Gubernia delatae ob concedendam etiam indigenarum candidatorum receptionem preces unitae cancellariae Aulicae erant substernendae u). Ab hac legi autem paullo post iterum recessum est, et Guberniis facultas restituta, ut receptionem Candidatorum, si ex Austriacis provinciis orti et sufficientibus studiorum et moralitatis testimoniis muniti essent, porro quoque, prout antea, admittere possint ea tamen cum clausula, ut sub finem anni cuiusvis consignationem omnium noviter receptorum candidatorum Dicasterio aulico exhibeant x). Ordinum Superioribus, qui contra leges Imperantis

---

o) 14 Apr. 1802 — p) 2 Apr. 1802 II. 2. q) 2 Mai 1785. 17 Dec. 1787. — r) 20 Mai 1781. 2 Apr. 1802 II. 2. — s) 24 Jan. 1803 appendix n. 4. — t) 16 Mai 1807 append. n. 4. — u) 23 Aug. 1810 — x) 17 Oct. 1811.

quosdam Candidatos receperint, pro circumstan-  
tiis Altissima protectio subtrahatur, iisque ex ditio-  
nibus Austriacis relegentur *y*).

§. 55.

*Novitiatus.*

Candidatus receptus ingreditur novitiatum, quo durante probatur, et is se ipsum examinare potest, an obligationibus et oneribus electi status par sit. Juxta legem Conc. Trid. *a)* in quocunque monachorum vel monialium monasterio unius saltim anni novitiatus professioni praemittendus est, secus subsecuta professio est invalida. Neque ordo neque novitius huic annali probationi renunciare potest, utpote in publicam utilitatem introductae. Annus hic a susceptione habitus inchoandus integer esse debet de momento in momentum computandus et absque interruptione continuus. Si vero quis expleto novitiatu claustrum deserat, et dein iterum redeat, novitiatum repetere non tenetur. Si novitiatus ex speciali ordinis statuto ultra annum protenditur, id quidem servandum est; attamen professio ante elapsum hocce tempus, dummodo postfinitum jam novitiatus annum emissa, pro invalida haberi nequit. Per nostras leges est prohibitum novitios durante anno novitiatus admittere ad studia cursus theologiei. Annus probationis potius ad finem sibi proprium impendantur, nimirum ut novitii animum suum religioso-moralibus ideis atque exercitiis excolant, exactam regulae et statutorum ordinis notitiam sibi comparent, officia, quae inde profiscuntur, penitus

---

*y*) 13 Jul. 1782.

*a)* Sess. 22. cap. 15. de regular.

discant, iisque assuefiant, quod forte superfluet tempus, repetendis humanioribus studiis et classicæ litteraturae, augendis cognitionibus philosophicis, praecipue psychologicis, quae futuris animarum curatoribus aut professoribus summopere necessariae sunt, insument. Licet quoque incumbere in studium lingvarum orientalium, quod est quasi praeparatio ad cursum theologicum b).

§. 56.

*Libertas egressus.*

Novitiis plenissima redeundi ad seculum libertas permittenda est a). Tantum clericus scholarum piarum ad docendum constitutus durante anno scholastico ordinem sine gravissima causa deserere non permittitur b). Ad omne egressus obstaculum removendum concilium Tridentinum quamcunque etiam juratam, vel in favorem qualiscunque pii Instituti factam a novitiis renunciationem bonorum, et quamlibet desuper factam dispositionem pro invalida declarat, nisi fiat ultimis duobus ante professionem mensibus cum licentia Episcopi aut ejus vicarii; immo talis dispositio tunc solum nanciscitur effectum, si professio reapse subsequatur. Pariter concilium parentibus, agnatis, aut parentum vices gerentibus prohibet, aliquid ex bonis novitii ante professionem ejus monasterio dare. Tota substantia, quam habuit, debet ei, si ante professionem egreditur, restitui; tantum id, quod pro victu et vestitu novitii expensum est, compensare licet c). Multo adhuc severiores hac

---

b) 25 Febr. 1813.

a) Cap. 22, de regular. cap. 2. eod. tit. in 6º. — b) 14 Apr. 1802. — c) Conc. Trid. Sess. 25. cap. 16. de regul.

in re nostrae sunt leges. Tam temporalia quam conditionata vota, item omnes aliae quocunque nomine adpellatae sponsiones et obligationes, quae relationem ad mansionem in claustro aut ordine usque ad legalem professionis aetatem habent, prima vice sub poena depositionis contra legem agentis Superioris et declarationis, eum porro inhabilem esse ad obtainendum quocunque in ordine suo officium; altera vice sub poena supprimendi claustri sunt vetitae *d*). Eodem modo ordinum Praepositis est severe prohibitum, a juvenibus clericis formale exigere juramentum, quod constanter in statu ecclesiastico manere, secus vero coenobio aut claustro sub poena etiam personalis arresti omnes in se factas expensas resarcire velint *e*). In casu facti a candidato ad statum secularis regressus ordo obligatur non tantum omne, quod ipsi quocunque nomine intuitu regredientis obtigerat, huic sine ulla mora restituere, immo si hic professioni praemoreretur, idem quoque respectu haeredum defuncti observare; sed etiam ordini vetitum est, pecuniam aliquam pro praestita novitio in claustro sustentatione exigere, vel aliquid hoc titulo sibi stipulari aut appropriare *f*). De cetero novitii in suis ante professionem confessis testamentis tantum de bonis praesentibus, non vero in futurum acquirendis, cum per professionem omnis successionis fiant incapaces, disponere possunt *g*). Alia quidem lex *h*) loquitur de facultate novitiis et clericis competente in talibus testamentis etiam de acquirendis in futurum bonis disponendi; sed per talia bona ad evitandam contradictionem sunt ea tantum intelligenda, quae ad

---

*d*) 17 Jul. 1782. — *e*) 24 Oct. 1783. — *f*) 17 Oct. 1770. n.  
5 et 3. — *g*) 1 Apr. 1780. — *h*) 17 Dec. 1780.

clericum vel novitium medio intra testamenti confectionem et emissam professionem tempore devolvuntur. Praefecti coenobio vel claustro testamenta novitiorum mox a depositis votis solemnibus personali instantiae, cui talis novitius qua laicus suberat, tradere obligantur, neque id usque ad mortem hujusce professi differre ausint *i*). Novitius aut clericus ex monasterio non potest dimitti, priusquam superior ejus parentibus, agnatis vel tutoribus egressum nunciaverit, et ab illis de recipiendo egrediente responsum acceperit. Nullo fors subsequente responso superior claustrum ad magistratum loci vel alios immediatos dimittendi superiores se convertere debet, qui impensis parentum vel tutorum receptionem fieri procurent. Si nec hac via suum scopum assequatur, ordinis Superior id gubernio indicare debet, quod deinde ex officio necessaria ad finem media adhibere, et curare tenetur, ut monasterio sumptus forte inaniter impensi resarciantur *k*). Frequentans scholas clericus regularis et non comparens ad praescripta examina, vel in his tertiam classem vel ne quidem hanc promeritus, si nondum professionem emisit vel ordines maiores suscepit, ex ordine dimittendus est *l*). Ex adverso omnes religiosi, qui scholas publicas frequentant, ut possint majori cum commoditate litteris operam navare, ad officia chori praeter dies dominicos et festos, item ad labores manuales laicis convenientes non sunt impendendi, sed ab iis eximendi *m*).

---

*i*) Gblvdg. in Böh. 6 Aug. 1807 — *k*) 4 Mai 1781 — *l*) 17 Jun. 18 Nov. 1784. — *m*) 22 Mai 1782.

§. 57.

*Pro receptione nihil exigere licet.*

Secundum canones ecclesiasticos illicitum est, pro receptione in aliquem ordinem religiosum quidpiam exigere. Talis exactio pro Simonia declaratur *a)*, quae nec per ipsam monasterii paupertatem excusari potest *b)*, nam secundum Conc. Trid. *c)* in nullo monasterio major numerus tyronum est recipiendus, quam qui ex propriis redditibus aut ex solitis elemosynis commode sustentari possit. Etiam secundum nostras leges monasteria suis religiosis victum, amictum, lintera, et medicamenta subministrare debent, nec ad id a parentibus et agnatis sub aliquo praetextu quodpiam subsidium exigere licet *d)*,

§. 58.

*Professio religiosa. Requisita ejusdem.*

Ut verum alicujus ordinis membrum quis evadat, religiosam professionem emittat, oportet, quae in nuncupatione solemnium votorum in ordine ab ecclesia approbato consistit. Aliquo ante emissionem votorum solemnium tempore quisque ordinis candidatus litteras reversales instar jura menti tenetur dare ejus tenoris, quod nunquam alicujus clandestinae societatis aut fraternitatis vel intra vel extra ditiones Austriacas membrum fuerit, et quod nunquam talibus clandestinis conne-

---

*a)* Cap. 8 et 30. de Sim. cap. 2. de statu Monach. cap. 1. eod. int. extravag. com. — *b)* Cap. 40. de Sim. — *c)* Sess. 25. cap. 3. de regular. — *d)* 20 Mart. 1772. n. 3.

xionibus quocunque sub praetextu accessurus sit *a*). Ad occurrentum omni dubio de valore professionis dies et annus emissae professionis in professionali documento litteris exaratur, et si ipse neoprofessus documentum propria manu non scribat, in subscriptione sui nominis etiam annum et diem propria manu litteris expressum adjungere teneatur *b*). Ad valorem autem professionis praeter praemittendum legalem Novitiatum (§. 55) requiritur 1<sup>o</sup> aetas legitima. 2<sup>o</sup> spontanea emissio et conveniens acceptatio professionis. 3<sup>o</sup> Jura tertii per eandem ne violentur.

### §. 59.

#### *Aetas legitima.*

Ex dispositione Concilii Trid. *a*) professio finito decimo sexto aetatis anno valide elicetur. Ast in Austriacis ditionibus nemo, cujuscunque sexus et status sit, in quocunque ordine religioso, qualicunque constitutione et immunitatibus gaudente, nec qua presbyter aut canonissa, nec qua frater laicus aut soror laica ante completum viginimum quartum aetatis suae annum professionem licite emittere potest. Si quis ordinis Superior quempiam ante hanc legitimam aetatem ad professionem admittat, ejus provincia aut conventus mulctam pecuniariam 5000 florenorum solvere debet, quam fiscus exigit, cujusque tertia denunciandi cedit. Is vero, qui ante 24um annum professionem depositus, statim ad seculum dimittendus est, donec legitimam aetatem plene attigerit, qua veniente iterum ingredi monasterium potest. Altera

*a*) 18 Mart. 1802. — *b*) 16 Jun. 1807.

*a*) Sess. 25 cap. 15 de regular.

vice hanc legem violans ordinis superior ditionibus Germanico - Austriacis decadere debet, et ordinis conventus pro gravitate adjuncrorum totalem suppressionem experiri potest *b*). Ne in fraudem hujus legis agatur, transmissio novitiorum ad extera claustra ante emissam professionem est prohibita *c*). Per recentiorem tamen constitutionem illis, qui durante triennali non interrupta commoratione a die suscepti habitus computanda in eodem coenobio, vel in monasteriis ejusdem provinciae luculenta specimina strenuae applicationis ad necessaria pro hoc scopo studia ediderint, emissio votorum solemnium post completum vigesimum primum annum permitta est. Qui vero hos tres probationis annos ante completum vigesimum quartum aetatis annum non transegerunt, sua vota demum post exactum vigesimum quartum annum emittere possunt, quia secus sufficiens ad cognoscendas futuras vocationis et status obligationes tempus non haberent *d*). Haec tamen licentia professionis vigesimo primo aetatis anno emitenda nullatenus ad moniales est trahenda *e*). Etiam intuitu clericorum regularium ad sacerdotii dignitatem destinatorum tantum ad illos extendi potest, qui philosophica studia jam absolverunt. Quare nullus ad sacerdotium destinatus regularis clericus quoteunque annorum professionem ordinis ante finitam philosophiam emittere potest *f*). Candiati Hungaricorum monasteriorum cum Austriacis communem ordinis provinciam constituentium, possunt si ex Hungaria oriundi, pro Hungaricis claustris destinati sint, atque in Austriam tantum in novitiatum vel ad studia mittantur, post com-

---

*b*) 17 Oct. 1770. — *c*) 17 Jul. 1782. — *d*) 2 Apr. 1802. II.  
4. — *e*) 7 Jul. 1802. — *f*) 1 Sept. 1814.

pletum vigesimum primum aetatis annum ordinis professōnem ubicunque déponere, quin prius tres annos in ordine exegissent g).

§. 60.

*Spontanea emissio et conveniens acceptatio.*

Professio religiosa tanquam contractus inter profitentem et caenobium seu ordinem consideranda est. Quare spontanea emissio a), et conveniens acceptatio b), ad ejusdem essentiam pertinent. Igitur sic dicta oblatio prolis ex parte parentum facta prolem plane non obligat, nisi liberi legitimam aetatem assecuti ratam habeant c). Pariter invalida est professio, si emissa fuit a persona usu rationis carente d), dolo circumventa, in errore vel ignorantia versante e), vel per injustum, etiam indirecte a tertio incussum metum extorta f), aut si rite acceptata non sit g). A quo acceptatio professionis fieri debeat, ex constitutione cuiusvis ordinis discendum est.

§. 61.

*Per professionem jura tertii non sunt violanda.*

Ne jura tertii per ordinis professionem violentur, nec personae militares ante dimissionem, neque reddendis publicis rationibus obnoxii ante

g) 24 Sep. 1802.

a) Cap. 1. de regular. — b) C 31 ap. et 16. de regular. —

c) Cap. 14. de regular. junct. can. 3. caus. 20. q. 1. —

d) Cap. 15. de regular. — e) Arg. cap. ejusd. cap. 1 et 3. de regular. in 6°. — f) Cap. 1. de his, quae vi metus-que causa. — g) Cap. 13 et 16. de regular.

obtentum absolvitorium *a*), neque ad mortem, aut ad gravem, vel gravissimum carcerem condemnati a die denunciatae ipsis sententiae, duranteque toto poenae tempore validam professionem emittere possunt *b*). Etiam conjuges post consumatum per concubitum matrimonium sunt ad professionem incapaces, nisi alter conjugum consentiat, atque vel ipse quoque monasterium ingrediatur, vel si ob aetatem non sit amplius suspectus, continentiam voveat *c*); item nisi altera pars adulterium committat *d*), vel in haeresim prolabatur *e*). Matrimonii tamen vinculum in omnibus hisce casibus salvum permanet adeo, ut altera pars ad secundas nuptias transire nequeat *f*). Si vero matrimonium non sit consumatum; alteruter Conjugum intra duos ab inito matrimonio menses adhuc in claustrum secedere potest, et si dein ibidem etiam contra alterius partis voluntatem ordinis professionem emittat, juxta commune jus ecclesiasticum matrimonii vinculum dissolvitur *g*); quod vero apud nos locum non obtinet, nam tantum morte alterutrius conjugis secundum nostras leges vinculum validi matrimonii inter Catholicas personas dissolvi potest *h*), quin aliquod discrimen inter initum et consumatum matrimonium fiat.

§. 62.

*Effectus professionis generatim.*

Religiosa professio valide emissa secundum jus commune sequentes producit effectus: 1º ex-

*a)* Can. unic. dist. 53. — *b)* Cod. crimin. §. 23.c. — *c)* Cap. 4. 13 et 20. de convers. conjug. — *d)* Cap. 15. 16. ibid. — *e)* Cap. fin. ibid. — *f)* Conc. Trid. S. 24. can. 5 et 7. de Sacr. matr. — *g)* Cap. 2 et 7. de convers. conjug. cap. 16. de sponsal. Conc. Trid. S. 24. can. 6. de Sacr. matr. — *h)* Cod. civ. §. 111.

tingvit omnia prius emissa simplicia vota *a*), item delet ex illigitima nativitate promanantem irregularitatem *b*), atque contractam ex vitae anteactae delictis maculam *c*). 2º relaxat ingratitudinem alias exhaeredatione dignam *d*). 3º dirimit non tantum inita sponsalia *e*), sed etiam non consumatum matrimonium *f*). 4º obligationem ordini aut monasterio imponit professum tota vita retinendi ac nutriendi *g*), professo autem tota vita in ordine aut claustro permanendi, vitam juxta ordinis regulam instituendi, ac vota religiosa exacte observandi *h*) Secundus et tertius effectus apud nos cessat; ille, quia monasteria juxta nostras leges ex persona professi succedere in bona a mortuis relicita non possunt; hic, partim quia sponsalia apud nos nullam vim obligandi habent, partim ex memorata in fine praecedentis §. causa.

§. 63.

*Obligationes religiosorum ex votis singulis.*

Professio religiosa complectitur vota obedientiae, paupertatis, et castitatis, ex quibus sequentes pro professis resultant obligationes. Votum obedientiae obligat professum ad prompte suo ordinis Superiori obsequendum *a*) in omnibus, quae hic ipsi secundum ordinis regulam praecipit aut prohibet, et quae sublimioribus legibus non sunt adversa *b*), ita quidem, ut ei nec liceat con-

*a)* Cap. 4. de vot. cap. 5. de regular. in 6º. — *b)* Cap. 1. de fil. presb. — *c)* Novella 5. princ. — *d)* Can. fin. caus. 19. q. 3. — *e)* Cap. 7. de conv. conjug. — *f)* Conc. Trid. S. 24. can. 6. de Sacr. matr. — *g)* Cap. 1. de stat. monach. — *h)* Cap. 17 et 24. de regular. Conc. Trid. S. 25. cap. 1. de regular.

*a)* Cap. 6. de stat. monach. — *b)* Can. 57. caus. 2. q. 7. can. 91. — *c)* caus. 11. q. 3.

tra gravans superioris decretum appellare c); quod tamen apud nos aliter se habet (§. 64.) Paupertas monachorum sub initium omnem proprietatem excludebat ita, ut illi labore manuum sustentationem vitae sibi procurare soliti fuerint. Successu temporis possidere cooperant partim propria bona, partim ex collectis elemosynis vivebant. Hodie votum paupertatis habet eum effectum, ut nullus religiosus quidquam proprii habere possit; sed cuncta, quae quisque pro suo usu possidet aut acquirit, ad totam communitatem pertineant, neque ullus sine expresso vel tacito, generali vel speciali consensu superioris, qui communitatem repreäsentat, facultatem habeat de aliqua re disponendi d). Hinc religiosi nequeunt testari, et quidquid post mortem relinquunt, monasterio cedit e). Etiam juxta nostras leges religiosi in regula testari non possunt f), et coenobium vel claustrum capit haereditatem ipsorum g). Bona quoque religiosi, qui ad aliquod in Hungaria existens sui ordinis claustrum, a quo sustentationem praetendere potuissest, adhucdum pertinet, in Germanicis ditionibus reicta illi monasterio, ad quod religiosus pertinet, extradenda sunt h). Tantum capellanus campestris, etsi sit religiosus, olim de sua, in peculio quasi-castrensi consistente, proprietate libere disponere poterat etiam per ultimam voluntatem i); praerogativa, quae nec per serius publicatum codicem civilem sublata videbatur, quia juxta hunc religiosi in tali relatione

---

c) Cap. 3 et 26. de appell. — d) Cap. 5. de regular. cap. 2. 4 et 6. de stat. monach. Conc. Trid. Sess. 25. cap. 2. de regular. — e) Can. 7. caus. 19. q. 3. cap. 2. de testam. — f) Cod. civ. §. 573. — g) 4 Jan. 1787. — h) 6 Febr. 1810. n. 2. — i) Dienstreglement für die k. k. Infanterie bekannt gemacht durch Armeebefehl v. 1 Sept. 1807.

constituti, ut secundum politicas constitutiones non amplius pro membris ordinis, coenobii, vel claustrri habeantur, et plenum rerum dominium acquirere possint, testamenti factione activa gaudent, qui casus juxta praedictum regulamentum militare in religiosis, qui sunt capellani campestres, saltim quoad ipsorum peculium quasi-castre strese obtinere videtur. Sed per constitutionem de die 1 Aprilis 1818 haec facultas ipsis fuit ademta. Ex ratione mox adducta religioso, qui episcopus factus est, testamenti factio activa negari vix potest. Collectio elemosynae cunctis religiosis cujuscunque generis sint, apud nos sub omni praetextu est interdicta. Pro quolibet antehac ex collectis elemosynis vivente monacho mendicante secundum proprias fassiones sustentatio ex fundo religionis est assignata *k).* Etiam Franciscanis collectio pro locis sanctis, et Trinitariis collectio pro redemtione captivorum in Turcia vetita est *l).* Severius adhuc omnibus exteris monachis mendicare sub qualicunque praetextu in ditionibus Austriae est prohibitum. Extero collectori prima vice deprehenso collecta adimuntur, et inter pauperes communitatis eum apprehendentis distribuuntur. Altera vice deprehensus insuper in carcere civili detinetur, donec communitas religiosa eum ad collectionem mittens sumitus pro victu expensos rependat, eumque praeterea centum florinis redimat. Haec redemtionis summa in repetitis deprehensionis casibus proportionatim semper est augenda. Clerici seculares talem peregrinum sine mora superioribus loci non deferentes amittunt suum beneficium; ordinis autem Praepo-

---

*k)* 24 Oct. 1783. §. 14, 13 Sept. 1782, 6 Oct. 1780. — *l)* 8  
Mai 1781.

siti suo officio exuuntur, et ad futuram quamcunque promotionem inhabiles declarantur, immo claustra ipsa peregrino collectori habitationem et subterfugium praebentia reducuntur *m*). Inter hujates religiosos erant olim quidem etiam Capucini et Franciscani *n*), modo autem sunt soli fratres misericordiae, et sorores Elisabethinae exceptae, quibus collectio pro pauperibus aegrotis est permissa *o*). In ditionibus Germanicis existentes conventus fratrum misericordiae plane in Hungaria et Croatia, et Hungarico - Croatici conventus in ditionibus Germanicis libere collectionem instituunt *p*). Verum monasteria, quibus adhuc collectio elemosynae est licita, ad hanc tranquillas, bene moratas, et mites personas eligere, illisque immixtionem in omnes curam animarum et informationem populi concernentes actiones, exceptis peculiaribus necessitatis casibus, severe interdicere debent *q*).

Votum denique castitatis obligat religiosum ad continentiam in statu coelibii *r*). Initum post religiosam professionem matrimonium prouti matrimonium clerici secularis post acceptos maiores ordines (*§. 32*) in ecclesia quidem Graeca adhucdum est solummodo illicitum, in Latina vero inde a seculo 12° invalidum. Noster codex civilis sine exceptione nullum esse statuit matrimonium personarum religiosarum utriusque sexus, quae solenne coelibatus votum emiserunt *s*).

---

*m*) 1 Jun. 1782. — *n*) 30 Oct. 1782. — *o*) 24 Oct. 1783.  
§. 14. 24 Sept. 1785. 6 Oct. 1789. 12 Oct. 1790. — *p*) 3  
Mai 1798. — *q*) 6 Jun. 1782. — *r*) Can. 2 et 5. dist. 27.  
can. 12. 22. 41. caus. 27. q. 1, can. 1. caus. 20. q. 3. —  
*s*) Cod. civ. 63 §.

## §. 64.

*Praecepta de disciplina monastica.*

Quodvis ordinis membrum sine exceptione ad communem disciplinam accurate servandam omni tempore est obstrictum *a*). Disciplina monastica in quolibet ordine juxta ejus regulam et statuta viget. Nostrae leges plura desuper continent praecepta. Religiosis immediatum commercium litterarum cum suis Provincialibus liberum est: tantum ibi, ubi ex instituto monasterii per Superiorum omnes epistolae, a subordinatis monachis scriptae, obsigillandae sunt, etiam ad Provincialem exaratae epistolae Superiori, cui vero jus eas inspiciendi nequaquam competit, pro obsigillatione in praesentia religiosi scribentis peragenda sunt exhibendae *b*). Religiosi suum vestitum regularem cum alio nunquam permутent; tantum in itinere et in cura animarum, vel tempore aliis cūjusdam occupationis ruri Superior breviorem habitum, et super eo aliud fusti coloris vestimentum deferendum indulgere potest *c*). Ad necessariam aequalitatem inter religiosos consequendam sine discrimine suis clericis vestimenta linteal ceteraque minutias omnes monasteria in natura procurare debent *d*), id est, tenentur eos juxta ordinis institutum suis sumptibus communiter sustentare. Abusus domesticae disciplinae et ordini nocivus, qui in aliqua monasteria irrepigit, ut nempe religiosi singuli fassam pro ipsis pecuniae summam in manus accipient, eaque sibi ipsi omnes necessitates, vestitum, victum, ligna etc. comparent, abolitus est *e*). Loco cantus clamorosi choralis,

*a)* 2 Apr. 1802. II. 9. — *b)* 12 Jun. 1785. — *c)* 2 Apr. 1802.  
II. 12. — *d)* 26 Jun. 1770 — *e)* 2 Apr. 1802. II. 12.

qui corpus exhaustit et frequenter vitia in eo pro-  
generat, temperatus cantus aut solum oratio clara  
introducatur *f*). Omnes actiones, quae vocationi  
et separatae a mundo vitae rationi religiosorum  
juxta ordinis sui institutum non convenient, ipsis-  
que saltim in mente nonnullorum de dignitate  
ecclesiastici status non recte sentientium hominum  
vili pensionem adferre, vel sinistris interpretationi-  
bus ansam dare possunt, quantum fieri potest,  
inhibendae sunt. Quare religiosis omnia negotia  
summaria, in quantum haec per cambium fiunt,  
interdicta sunt, adjectaque est poena, vi cuius a  
tribunalibus omnis circa eadem mota actio ex  
officio rejici debet. Monasteria, quae jus vinum  
aut cerevisiam minutim divendendi habent, suas  
cauponas nunquam intra claustrum muros, sed  
quantum fieri potest, in disjunctis a communitate  
ejus conclavebus habeant, ad hoc genus negotii  
solum seculares famulos, nullumque religiosum,  
nec presbyterum nec laicum, adhibeant; immo ne  
quidem suos religiosos ulla ex causa et sub ullo  
praetextu ad cauponam mittant *g*). Gravamina  
religiosorum contra suos superiores propter ex-  
cessus, qui mere personalia, regulare officium  
concernentia, vulgo dicta disciplinaria objecta re-  
spiciunt, exceptis iis, qui transgressionem legum  
et constitutionum civilium involvunt, immediate  
ad competens Consistorium, et tum demum ad  
Gubernium vel seculares Superiores sunt deferen-  
da, si de Consistorii negligentia vel iniquitate  
querela moveri possit *h*).

---

*f*) 21 Aug. 1786. — *g*) 20 Mart. 1772. initio, dein §. 1 et  
2. — *h*) 11 Apr. 1786.

§. 65.

*Fuga ex claustrō, carcer, et conclave correctionis.*

Cum absentia religiosorum e suis Monasteriis atque constans vel longior extra ea commoratio disciplinae religiosae et vocationi eorum noxia, vel saltim summe periculosa esse possit *a*): illi, qui extra sua claustra commorantur, neque curam animalium exercentes, neque aliis condignis statui negotiis occupati sine mora ad sua claustra sunt relegandi, ubi habitum ordinis iterum induere debent *b*). Profugi claustrum deserentes, ut se obedientiae subtrahant, et apostatae, qui post fugam redeundi animum prorsus deponunt, conquirendi sunt et ad redeundum cogendi *c*). Apostatae juxta canones eccl. in gravi carcere tenui victu captivi destineantur, donec emendentur *d*). Incorrigibiles Professi non sunt amplius, prout olim, ex claustro ejiciendi; sed in quodam convenienti sui vel alterius claustri loco separati a consortio suorum confratrum ad poenitentiam agendam adstringendi *e*). Ast per nostras leges existentes in monasteriis carceres et immoderatae religiosorum poenae, utpote comparatae ad laesio- nem jurium majesticorum, sunt sublatae, atque severe superioribus ordinis vetitae: quibus tamen competens in membra ordinis correctio paterna quoad disciplinaria est illaesa reicta. Quare poena digni religiosi utriusque sexus in hunc finem includi quidem possunt, sed in separato, cum re-

---

*a*) 20 Mart. 1772. §. 3. — *b*) 2 Apr. 1802. II. 12. — *c*) Cap. fin. de regular. Conc. Trid. S. 25. cap. 19. de regular. — *d*) Cap. 5. de apostat. — *e*) Cap. fin. de reg. cap. 10. de major. et obed.

liquis cubilibus aequali, cubiculo correctionis, quod proprie ad id destinatum, semper bene munda-  
tum esse, et omni tempore inspectioni secularium et ecclesiasticorum Superiorum patere debet *f*), cuius tamen fenestrae ferreis cratibus et fores fir-  
mis seris muniendae sunt, ne hujusmodi religiosi  
viam esugiendi inveniant *g*). Jejunia poenitentia-  
lia illis tantum alternis diebus injungi possunt,  
et relate ad cibos ea cum providentia cum ipsis  
agendum est, ut valetudo eorum detrimenti quid  
ne capiat. Si aliquod ordinis membrum tam gra-  
via crimina patraret, ut relegationem ex ditionibus  
Austriacis, toto vitae tempore duraturum carce-  
rem, vel plane mortis poenam mereatur, Superior  
ordinis tenetur talem reum statim ordinariatu in-  
dicare, qui dein, quid cum eodem agendum sit,  
dijudicet *h*).

### §. 66.

*Cultus divinus et cura animarum in monas-  
ticis ecclesiis, ac in parochiis claustro in-  
corporatis.*

In claustrorum ecclesiis, quae simul non sunt  
parochiae, juxta ordinationem de officio divino  
nullum solemne officium divinum i. e. nulla concio,  
nulla benedictio, nec Lytaniae cum ea conjunctae  
celebrari poterant *a*); modo vero in iis publica  
officia divina, prout antea, cum licentia Ordina-  
rii iterum celebrari possunt; nullatenus tamen  
praescriptum in parochia loci officium divinum  
turbandum, nec alia ad id negligendum submini-

---

*f*) 31 Aug. 1771. 11. Mar. 1783. — *g*) 17 Jun. 1783 —

*h*) 31 Aug. 1771. —

*a*) 21 Apr. 1783.

stranda est occasio, quia parochus solus ordinarius animarum pastor et magister suae communitatis, religiosi vero tantum ejus adjutores sunt *b*). In ecclesiis monasticis, quae simul parochiales sunt, tam ruri quam in urbibus, semper examinati et requisitis qualitatibus instructi religiosi cum remuneratione ex fundo religionis solvenda parochi constituendi sunt *c*). Talem parochum Ordinariatus communicatis cum ordinis Superiore consiliis eligere debet, cui reliqui ex eo monasterio religiosi pro necessitate qua cooperatores auxilium praestare tenentur *d*). Etiam per incorporatas coenobiis et monasteriis parochias religiosi in curam animarum exponendi sunt; quantum tamen status personalis cuiusvis claustrum et Coenobii admittit, in talibus stationibus plures et ad minimum tres religiosi sunt collocandi, ut hac ratione quaedam communio et dependentia a Superiore efformetur *e*), neve expositi religiosi sibimet ipsis relinquuntur. Cum insuper mansuetudini spirituali repugnet, ut ad curam animarum expositi religiosi simul et oeconomiam exerceant, per quam saepius ansa datur eosdem ruricolas cum severitate et poenis temporalibus ad debitas praestationes adigendi, quos paullo post eveniente morbo confessuros audire et ad mortem praeparare debent: in hujusmodi parochiis alius religiosus constitutus est, qui absque influxu in curam animarum solus oeconomiam administret *f*). Expositi, qua cooperatores, religiosi si immorigeri sint, ad curam animarum non sunt amplius adhibendi, sed pro emendatione ad claustra relegandi *g*).

---

*b*) 2 Apr. 1802. II. 14. — *c*) 25 Oct. 1785, et 31 Dec. 1802 —

*d*) 3 Nov. 1786. — *e*) 2 Apr. 1802 II. 13. — *f*) 23 Mart. 1772. §. 4 — *g*) 10 v. 16 Aug. 1784.

§. 67.

*Obligatio Religiosorum ad erudiendam publice juventutem.*

Praeterea nostrae patriae leges obligant religiosos ad suscipiendam pro ratione circumstantiarum publicam juventutis instructionem a). Coenobia ad excolendas sublimiores scientias generaliter, praecipue autem ad eas species, quae longi temporis preparationem et sumptuosam literariam supellectilem exposunt, animantur; ejusmodi sunt in theologia: historia ecclesiastica, studium sacrae Scripturae cum auxiliaribus cognitionibus Hebraicae et Graecae linguae, item affinium priori dialectorum; in philosophia: historia naturalis, Physica cum mathesi applicata, Astronomia cum sublimiori mathesi, Diplomatica, Numismatica, Heraldica. Coenobia igitur satagant insignes in suo gremio producere viros, qui docendis publice sublimioribus scientiis per Universitates et Lycaeum cum emolumento republicae et honore Coenobii applicari possint. Publici professores scientiarum a coenobio plurimum cultarum ex religiosis electi salario eodem, quod pro secularibus Sacerdotibus definitum est, fruuntur, quindam in reductionem ejusdem patiantur ob emolumenta ipsis fors a monasterio suppeditata b). Quin immo cuique Religioso in gymnasiis ex fundo religionis sustentatis docenti idem salarium, quod pro professoribus et praefectis ex statu sacerdotum secularium desumptis determinatum fuit, in quaunque categoria concessum est c). Imprimis

---

a) 2 Apr. 1802. II. 6. — b) 14 Febr. 1811 — c) 16 Dec. 1813.

formandorum theologicorum professorum pro publicis Institutis curam gerant, et praecipue vacante cathedra studii biblici, historiae ecclesiasticae, ac Dogmaticae candidatos ad concursum mittant d). Ast sacerdotes ex coenobiis et claustris ad publicas cathedras vocati, abdicato munere, pensione quidem nulla gaudent; Sua Majestas tamen ad demonstrandam suam adprobationem pro modo applicationis et excellentium meritorum ad honorificos nummos memoriales aureos et secundum adjuncta etiam cum catena illis elargiendos prona est. Excepti tamen quoad pensionem sunt mendicantes, et pro tempore etiam Piaristae, cum claustra et collegia eorundem parum dotata promeritos suis dignioribus membris favores impertiri nequeunt, quos aliorum ordinum superiores sui coenobii membris in re litteraria de religione et patria bene meritis suppeditare nunquam non tenentur e). Ordinum superiores semper sub finem cuiusvis anni scholastici indicem eorum Clericorum, qui se ad docendas scholas Latinas praeparant, debent Gubernio communicare, ut ex his pro eorundem habilitate defectus professorum suppleatur f).

### §. 68.

#### *Auxilium in cura animarum per Religiosos in beneficiis secularibus praestandum.*

Pari modo ex tenore legum patriarcharum Religiosi ad extraordinarum in beneficiis secularibus curae animarum ferendum auxilium obligantur a). Juxta leges Josephi II. Imperatoris Religiosi bene-

---

d) 11 Apr. 1804. — e) 11 Mai 1803 — f) 26 Febr. 1781 —  
a) 2 Apr. 1802. II. 6.

ficiorum secularium obtinendorum et possidendorum capaces erant. Sola habilitas, et dignitas Sacerdotis sine discrimine status, in conferendis beneficiis rem decidebat *b*). Ordinariorum arbitrio relinquebatur, an expositis in cura animarum Religiosis habitum ordinis cum vestitu secularis cleri commutandi licentiam indulgere velint *c*). Leopoldus II, haec restrinxit praecipiens, ut Religiosi tunc demum parochias obtinere possint, si clerus secularis deficiat, vel si quis Religiosus suis dotibus se peculiariter distinguat *d*). Sed cum canones ecclesiastici clerum regularem ad obtainenda beneficia secularia inhabilem declarent; et cum coenobia atque monasteria nunquam vires recuperare, nec ad stabilem, prout optatur, subsistetiam et activitatem pervenire possent, si illis frequenter meliora et habiliora membra per successivam ad beneficia secularia promotionem subtraherentur: constituit Imperator Franciscus, ne quis Religiosus beneficium seculare amplius obtineat *e*). Inde est, quod modo in coenobiis et claustris existentes Religiosos non ad stabilem animarum curam in beneficiis secularibus, sed tantum ad necessarium per adjuncta auxilium breviori tempore praestandum ordinariis adhibere licet; Superioribus ordinum tamen semper est liberum expositos ad brevius tempus religiosos, si eorum opera quounque modo opus habent, cum consensu Ordinarii a cura animarum ad claustrum revocare, illorumque vices per alia apta Individua supplere *f*). Coenobia per Decanum ruralem requisita ad dandos parochis et localibus capellanis, qui cooperatorem sustentare non possunt, in casu morbi sub-

*b*) 22 Jul. 12 Sep. 1783 — *c*) 4 Oct. 1786 — *d*) 17 Mart. 1791 §. 4. n. 1. — *e*) 20 Jan. 2 Apr. 1802 II. 10. — *f*) 2 Apr. 1802 II. 11.

sidiarios pro cura animarum religiosos, simul obligantur, hosce religiosos toto ministerii tempore propriis sumptibus alere g). Provisoriae mendicantium expositiones ad curam animarum quotiescunque contingunt, semper annotato die, quo factae sunt, et tempore, quo durarunt, a Consistoriis aulicae fundationum Rationariae sunt significandae h).

§. 69.

*Jura promotorum ante 25. Martii 1802 ad curam animarum Religiosorum.*

Religiosi, qui jam ante Caesaream schedam manualem de die 25a Martii 1802 tanquam fontem constitutionis aulicae de die 2a Aprilis ejusdem anni in possessione secularis beneficii velibidem qua cooperatores constituti erant, debuere intra tres menses declarare, an sibi redditum ad claustra reservare, an vita durante in cura animarum perseverare malint a). Qui declaraverant coram Ordinariatu se ad claustra redituros, a nullo Ordinario ad stabilem animarum curam cum vestitu Sacerdotum secularium, sed tantum ad temporale in eadem subsidium in vestitu religioso praestandum admoveri possunt b). Dimissio talium Religiosorum ex cura animarum nonnisi successive eatenus locum habere potest, quatenus ad occupandas illorum stationes succrescens clerus secularis sufficit. Nominatio Religiosorum, qui nam sensim ad sua claustra redire debeant, est actus pertinens ad officium Ordinariatus. Eodem modo etiam potestati Episcoporum relictum est curare, ut Religiosi ex cura animarum ad mona-

g) 3 Nov. 1787 — h) 3) Apr. 1787.

a) 2 Apr. 1802 II. 10. — b) 20 Jan. 1803.

steria redeentes statutis sui ordinis pro viribus suis satisfacere pergent; bene meriti vero et cum defectibus corporis redeentes curatores animarum amanter et liberaliter tractentur. Ast illis Religiosis, qui declaraverant se ex cura animarum ad claustra nequaquam reversuros, sed in eadem constanter permansuros, episcopi secularizationem vel de plenitudine suae potestatis impertiantur, vel a curia Romana gratis impetrant. Tales Religiosi pro ratione meritorum, prout clerici seculares ad beneficia etiam pingviora secularia promoveri possunt, et in casu, quo inhabiles fiunt ad curam animarum porro exercendam, juxta eadem principia sunt tractandi, quae de providendis deficientibus cleri secularis membris stabilita sunt c). Cuivis tamen Ordinariatu liberum est, Religiosos formaliter non secularizatos et in cura animarum male se gerentes, aut propter delicta ex eadem amovendos, vel commoditatis causa tamdiu, quamdiu ipsorum physicae et morales vires secundum arbitrium Ordinarii admitterent, in cura animarum perseverare nolentes ad correctionem et in poenam ad aliquod tempus vel pro ratione adjutorum perpetuo in claustra relegandi d), licet declarassent se nolle ad eadem reverti, in quibus ii, qui ob moralem defectum eo relegantur, severe ad disciplinam claustralem adstringendi sunt e).

§. 70.

*Quatenus expositis in cura animarum Religiosis testari liceat, et alio titulo succedi possit.*

Haereditas cuiusvis professi, qui in parochia,

c) 5 Oct. 1803 — d) 19 et 20 Jan. 1803. 16 Aug. 1784. —  
e) 15 Oct. 1803.

suo monasterio vel coenobio incorporata (ad quam coenobio jus competit pro cura animarum examinatos Religiosos praesentandi et exponendi) parochi vel capellani vices gerit, obtingit suo coenobio vel claustrō; quia ejusmodi Religiosus pro arbitrio tantum suorum Superiorum ad curam animarum expositus in plena connexione cum ordinis communitate permanet, quae tam ipsum, nisi ex fundo religionis fors annum subsidium habeat, quam domum parochiale et ecclesiam omnibus necessariis providere tenetur *a*). Monachi vero ordinum nulla stabilitate loci gaudentium, nec singillatim subsistentia monasteria habentium, uti Dominicanī, Franciscanī etc. si qua parochi, locales capellani, vel solum qua capellani, cooperatores, vicarii extra suum claustrum in cura animarum expositi fuerant, olim poterant de bonis ex redditibus beneficij vel alio modo acquisitis testari, et si ab intestato decessissent, illorum relictæ facultates omnes juxta normam successionis pro clero seculari praescriptam in tres partes devidebantur *b*). Ast nunc respectu omnium ad curam animarum in beneficiis secularibus exercendam expositorum Religiosorum primo attendendum est, an jam ante 25am Martii 1802 in cura animarum constituti fuerint, vel non; et secundo, respectu eorum, qui expositi dicto tempore fuerint, an in declaratione anno memorato ab ipsis facienda reditum ad claustra sibi reservaverint vel non. Qui post dictum normalem diem ad curam in beneficiis secularibus expositi fuerunt, aut in ea jam ante dictum diem constituti declararunt se ad sua coenobia velle reverti, qua temporanei tantum auxi-

---

*a)* 23 Oct. v. 4 Nov. 1784. 25. Oct. 1788 — *b)* 20 v. 21 Apr. 1786., 12 v. 22 Dec. 1788.

liatores sunt considerandi, per totam vitam non ad episcopum sed ad sua coenobia et ordines pertinent, nec habent jus haereditates aliorum capendi, vel de suis disponendi *c*); consequenter quoad illos manet regula, vi cuius religiosi testari non possunt *d*). Quare ipsorum bona cedunt monasterio aut coenobio (63 §.) —. Qui e contra ante diem normalem in cura animarum expositi fuerant, et repudiato ad claustrum regressu se constanter in cura animarum mansuros declaraverant, subsunt per omnem vitam episcopo, illisque competit jus successionis activae et passivae, id est jus acquirendi aliorum haereditates et habendi haeredes, qui ipsis ex testamento vel ab intestato in relictis bonis succedant *e*); hi igitur in tali relatione sunt positi, ut vigore politicarum constitutionum amplius qua membra ordinis, coenobii vel monasterii non sint considerandi, sed plenum rerum dominium acquirere possint; consequenter vi legalis exceptionis etiam jus testamenta condendi habent *f*) sine discrimine, an formaliter secularizati sint, aut non. Si absque testamento decedant, eorum haereditas ab intestato in tres aequales partes dividitur, prout id in clero seculari obtinet *g*).

### §. 71.

#### *Ordinum Superiores. Quis ad id manus inhabilis.*

In coenobiis stabilitate loci gaudentibus ordinis Superiores primarii dicuntur Abbates vel Praepositi, secundarii Priors aut Decani. Illi pro tota vita, hi communiter ad tempus constituuntur.

---

*c*) 2 Apr. 1802. II. 10. — *d*) Cod. civ. §. 573. — *e*) 2 Apr. 1802 II. 10. — *f*) Cod. civ. §. 573 — *g*) 17 Sept. 1807.

In claustris, ubi mutatio loci introducta est, dantur tria genera Superiorum ordinis; Generales, qui toti ordini, Provinciales, qui monasteriis aliquujus provinciae ordinis, et locales superiores, Rectores, Priors, Quardiani pro diversitate ordinum dicti, qui singulis claustris praesunt. Ordinis Generales, uti mox videbimus, nullam fere apud nos merentur mentionem. In constituendis aliis superioribus generatim sequentia principia sunt tenenda; 1º Nullus alienigena in Superiorum coenobii vel claustri, eo minus totius provinciae eligendus est; ad id munus tantum indigenae et qui legitimo modo jus civitatis adepti sunt, promoveri possunt a). 2º Si quis per longam commorationem indigenatum adeptus religiosus munus Superioris obtinere velit, is praeter decennalem in Austriacis provinciis commorationem adhuc probare debet, se studia theologica in his provinciis absolvisse, vel saltim ibidem omnia praescripta ex iisdem tentamina subiisse b).

§. 72.

*Electio Superiorum ordinis.*

Abbes et Praepositi coenobiorum per canonicam a cunctis capitularibus post obtentum praevie Aulae consensum peractam electionem, ad quam et Imperantis et Episcopi commissarii comparent, constituuntur, atque per Ordinariatum ac Gubernium confirmantur a); Superiores secundae classis ab Abbe vel Praeposito aut libere denominantur, aut post factam per membra coenobii

---

a) 20 Mart. 1772 n. 5, 24 Mart. 1781. n. 5. — b) 9 Mart. 1784.

a) 10 Sept. 1805.

electionem confirmantur. In reliquis claustris, quae Superiorum perpetuum non habent, electiones Provincialium et primorum loci Superiorum a capitulis ordinis provincialibus sunt peragendae b). Capitula provincialia tantum in ditionibus Austriae sunt celebranda, et quoties ea celebrari oportet, provincia ordinis id praevie Gubernio, in cuius territorio celebratio imminet, mature indicare tenetur c). Etiam Ordinariatu celebratio capituli praevie significari debet d). Capitulum provinciale a Provinciali, qui actu est, tempore durantis adhuc suae potestatis convocatur. Praesidium, cum tempore congregati capituli Provincialis potestas jam cessaverit, competit primo Superiori ejus monasterii, quod in metropoli, aut si in ea nullum sit, in precipua civitate provinciae ordinis existit. Hic Superior etiam in casu mortis aut impedimenti vices actualis Provincialis obit; proinde in casu demortui Provincialis etiam capitulum convocare debet e). Capitulum provinciale constare debet ex Provinciali, ex primis omnium monasteriorum superioribus et priscis definitoriis f), quos Josephus II. Imperator sustulerat. Passivi voti capaces sunt, id est eligi possunt iit tantum ordinis professi, qui jam presbyteratus ordine insigniti sunt, sive in eo conventu, ubi electio fit, sive in alio ad provinciam ordinis pertinente monasterio degant. Ad valorem electionis vota absolute majora requiruntur; quodsi vero etiam in tertio scrutinio vota absolute majora non habeantur, is, qui in tertio scrutinio vota respecti-  
ve majora obtinuit, tanquam neoelectus Superior

---

b) 2 Apr. 1802. II. 8. — c) 24 Mart. 1781 — d) 2 Apr. 1802 II. 8. — e) 14 et 29 Mart. 1785. — f) 2 Apr. 1802 II. 8.

honorandus est *g*). Si in electione Provincialis vota paria emergant, denominatio alterutrius ex his, qui paribus gaudent votis, Ordinario competit *h*). Peractae a provinciali capitulo electiones nullam habent vim et valorem, antequam ab Ordinariatu confirmatae, et neoelecti superiores Gubernio indicati fuerint *i*). Omni triennio nova electio primorum loci Superiorum est suscipienda *k*), attamen provinciale capitulum habiles et dignos Superiores denuo pro futuris tribus annis confirmare potest; sed haec confirmandi facultas tantum eousque salva manet, donec ordinis clerici iterum priscum numerum adaequent, vel saltim eidem prope accesserint; quo facto ad consuetum ordinis statutum redeundum erit, juxta quod Superiores semper post tres annos mutandi, et nequam ad alios tres annos confirmandi sunt *l*). Munus Provincialis durat sex annis; sed capitulum provinciale post elapsum hoc tempus eum ad idem tempus confirmare potest *m*). Provincialibus et primis claustrorum Superioribus, qui suum munus cum approbatione ecclesiastici et secularis magistratus semper ad amussim obibant, finito officio ad animandos et remunerandos eorum successores priscae praerogativae, quas Josephus II. *n*) sustulerat, in tantum iterum indulgeri possunt, in quantum hae excepta personali praecedentia communis disciplinae et ordini innoxiae censentur *o*): Electio Superiorum, quos habent in sericordiae fratres *p*), Scholarum piarum *q*) presbyteri, et Dominicanii *r*), quasdam praesefert singulares proprietates, quibus explicandis supersedemus.

---

*g*) 30 Nov. 1784. n. 4 et 1. — *h*) 4 Jun. 1785. — *i*) 2 Apr. 1802. II. 8. 28 Jan. 1797. — *k*) 30 Nov. 1784. n. 1. — *l*) 31 Mai 1803. — *m*) 30 Nov. 1784. n. 3. — *n*) 21 Feb. 1 Aug. 23 Dec. 1785. — *o*) 2 Apr. 1802. II. 9. — *p*) 3 Jan. 1785. — *q*) 24 Mai 1806. — *r*) 9 Mart. 1808.

§. 73.

*Sublatio omnis nexus monasteriorum Austriaeorum cum exteris, horumque Superioribus.*

Omnis cujuscunque nominis nexus hujatum monasteriorum cum exteris religiosis provinciis, claustris, horumque Praepositis, excepta unice confoederatione quoad suffragia et preces est totally et in perpetuum sublatus. Quare Austriacis claustris neque generalia capitula et aliae ordinis congregations extra ditiones Austriacas sunt adeundae; neque obedientiae, visitatores, correctores etc. missi ab exteris ordinis superioribus sub quocunque praetextu admitti debent. Hac ratione etiam necessitas cessat itinerum personalium a quibusdam membris Romam et in exteris ditiones suscipiendorum, aut aliquorum membrorum ibi constanter sustentandorum. In specie nulli ordini Breviaria, Missalia, Antiphonalia et alios ad ordinis regulam pertinentes libros ex alienis ditionibus licet adferre *a)*, quorum reimpressionem potius per indigenas typographos sibi procurent *b)*. Religiosi per patrios solum Provinciales sub inspectione Episcoporum et Guberniorum regantur. Hinc illis claustris, quae ad aliquam exteraam provinciam olim spectabant, concessum fuit, ut vel se ceteris Austriacis sui ordinis claustris associent, vel in separatam intra fines imperii congregacionem coalescant. Nulla religiosa provincia aut congregatio tale monasterium complecti potest, quod non subbesset Austriaci Imperantis potestati. Neque cum P. Generali, si hic sedem constantem

---

*a)* 24 Mart. 1781. n. 1. 2. 4. 6. 8. — *b)* 8 Oct. 1781.

in ditionibus Austriacis non habet, licet nostris monasteriis vel in spiritualibus et disciplinaribus vel in temporalibus nexus aliquem fovere c). Proinde monasteria ordinis Generalem Romae habentia litteras ab ipso directe recipere vetantur, easque cognito ex sigillis et insignibus scriptore occlusas remittere debent. Generales nostris monasteriis scriptas epistolas C. R. Ministro Romae ulterius expediendas tradere tenentur d). Ipsi quoque superiores Provinciales nulli extero Generali qualicunque titulo subjecti esse possunt; vices exterorum Generalium Ordinariatus supplent, ad quos jura et obligationes cuiusvis ordinis Generali secundum statuta ejusdem competentes transierunt e). Celebratam de se ipsis in capitulis electionem possunt quidem Generali Romae existenti propter communionem quoad suffragia et preces significare, nullatenus autem ab eo jurisdictionem aut potestatem aliquam petere vel acceptare. Haec notificatoria epistola, ut Romam expediatur, Gubernio aperta tradi debet, a quo mediante secreta Aulae et status cancellaria Generali mittetur, responsumque Generalis eadem via accipietur f). Clastra itidem Monialium sub poena deponenda Superiorissae a Superiori vel Praefecto, qui non sit ex clero patrio, nequaquam dependere, vel cum ipso in aliquo nexu quoad disciplinaria aut temporalia esse possunt g). Ad promovendam observantiam praecepti sublatum cum exteris superioribus nexus concernentis Religiosis generalim obliteratio contradicentium eidem ordinis constitutionum severe injuncta est h).

---

c) 24 Mart. 1781. n. 3. 2 et 4, 2 Apr. 1802. II. 7. — d) 24 Mart. 1783. — e) 2 Apr. 1802. II. 7. — f) 11 Mai 1782. §. 3. — g) 24 Mart. 1781. §. 7. — h) 15 v. 20 Jun. 1782.

§. 74.

*Sublatio exemptionum, et limitatio aliorum  
privilegiorum Religiosis competentium.*

Liberatio Religiosorum a Superioribus exte-  
ris fuisse imperfecta, eorumque gubernatio per  
Episcopos exercenda vix habuisse effectum, si  
exemtiones claustrorum in vigore suo permansi-  
sent, quare omnes coenobiorum et claustrorum a  
potestate et jurisdictione Episcopi vel Archiepis-  
copi ordinarii exemptiones annihilatae sunt. Nul-  
lum papale privilegium, nullum documentum,  
nulla concessio, qualicunque demum sint forma  
conscripta, amplius vigorem aliquem, aut effectum  
relate ad exemptiones habent. Etiam omnia pacta,  
compactata, aut concordata de objecto quopiam  
exemptionis intra **Ordinarios** et claustra, commu-  
nitates et personas olim inita penitus sublata sunt.  
Omnia monasteria, communitates, personae, et  
loca Ordinario tam quoad objecta doctrinae, quam  
disciplinae subjecta esse, ac obedire debent, qui  
suam potestatem pastoralem in personas et loca  
antehac exempta exercere potest; ipsi illimitata vi-  
sitatio, emendatio disciplinae claustralium et appli-  
catio Religiosorum ad curam animarum juxta suum  
placitum, sed modo tantum ad tempus et in subsi-  
dium, competit (§. 67). Superiores ordinum et  
Religiosi huic Constitutioni refragantes, si ad-  
 juncta id exigunt, denegatione supremae protectio-  
nis et suarum communitatum sublatione puniun-  
tur *a)*. Quod alia religiosis ordinibus vel imme-  
diata vel per communicationem concessa pontificia  
privilegia attinet: nec ista vim, valoremque ha-  
bent, si vigentibus patriis legibus adversantur,

---

*a) n. v. 16 Sept. 1782.*

et generatim si demonstrari nequeat Placitum regium ipsis accessisse, quod juxta nostras leges etiam respectu antiquiorum Pontificis bullarum, quamprimum in usum eas deducere volupe est, necessario requiritur b).

§. 75.

*Potestas Superioris religiosi, speciatim disciplinaris.*

Potestas Superiorum religiosorum consistit

1º in potestate disciplinari, quae paternae et herili potestati similis est.

2º in oeconomica potestate ad bonorum et proventuum monasticorum administrationem comparata.

3º in jurisdictione spirituali in subordinatos clericos, quam ab Episcopo obtinent, de hac tractatur in jure publico ecclesiastico.

Vi potestatis disciplinaris Superiores Religiosorum omne id imperare possunt, quod ad internam disciplinam, ordinem et aequalitatem necessarium judicant, et quod altissimis constitutionibus non est adversum. Quae intuitu singulorum claustrorum disponenda sunt, pertinent ad sphaeram Prioris, vel aliter nominati localis Superioris. Quae relate ad totam provinciam aut ad conservandam aequalitatem, aut manutenendum ordinis institutum dispositu necessaria sunt, dependent ab activitate Provincialis a). In specie habent Provinciales jus subordinata claustra, quoties est necesse, aut verbis alterius constitutionis b) utendo, in illis casibus, ubi disordo vel alii graviores even-

---

b) 17 Mart. 1791. §. 3. n. 1.

a) 13 Mai 1785. — b) 30 Nov. 1784. §. 6.

tus et circumstantiae ipsorum personalem praesentiam et visitationem exposcunt, visitandi, et detecta vitia corrigendi: essentiales et majoris momenti mutationes propria auctoritate inducere non valent. In quovis casu de sua visitatione Ordinariatu*m*, in cuius jurisdictione visitatum claustrum jacet, exactam relationem exhibere, in ea mutationes, quas necessarias judicant, accurate adnotare, easque nisi periculum in mora sit, demum post obtentum Ordinarii consensum, atque proportione circumstantiarum etiam post subsecutam Gubernii approbationem executioni dare tenentur. Porro habent (olim c) fere penitus ademtum) jus transferendorum suorum Religiosorum ex uno ejusdem provinciae claustro ad aliud, dummodo ex hac translatione fundo religionis nullum novum onus accrescat; tandem ipsis competit jus puniendo delicta non politica, poenam tamen diutius duraturam nonnisi cum praescitu Ordinarii ac sub obligatione reddendae ei rationis infligant. Hinc Religioso, si rationabiliter opinetur se per inflictam a superiore poenam gravatum esse, liberum est ad Ordinariatum et ab eo ad politica Dicasteria appellare. Immediatis vero Religiosorum querelis, se a superioribus suis opprimi, politica Dicasteria aures praebere vetantur, uti et querelis ipsis super denegato sibi per Ordinariatum auxilio, si legitime comprobare nequeant, quod Ordinariatus ipsis et rei investigationem et justam denegaverit opem, quapropter Ordinariatus Acta ad inquisitionem spectantia Gubernio exhibere jubetur d).

---

e) Ibid. §. 5. — d) 2 Apr. 1802. II. §. 9.

§. 76.

*Obligationes Superiorum.*

**Obligationes Superiorum religiosorum eo collimant**, ut concessa sibi potestate in coenobii vel claustrum bonum, quod tamen semper tanquam medium ad nobiliorem civitatis et ecclesiae finem spectandum est, utantur. Per nostras leges monentur, ut disciplinam regularem et introductum ordinem severe manuteneant, ad restitutionem collapsae disciplinae sincere et fideliter cooperentur, bono suo exemplo praeluceant, pro sua persona immodicas expensas non faciant, et cum solum administratores subjectorum sibi claustrorum et coenobiorum sint, in nulla re gravioris momenti quidquam decernant, antequam piissimos et prudentissimos ordinis fratres praevie in consilium vocarint, ut contra omnem male sentientium exprobationem per propriam conscientiam, et aliorum testimonium in quovis casu tuti sint. Quare, quantum possibile, constanter resideant. In hunc finem ex applicatis in collegio statuum provincialium religiosis Deputatis remotiora coenobia habentibus ibi, ubi eorum duo sunt, semper unus alterna vice tribus mensibus aut medio anno in suo coenobio commoretur; et ubi tantum unicus est, iste saltim quatuor anni menses in suo coenobio transigat, et durante hoc tempore se per aliud in loco collegii aut proxime sito coenobio existens religiosum statuum membrum in suo munere suppleri faciat *a)*. Praefecti monasteriorum porro tenentur quolibet trimestri contingentes mutationes in statu personarum monasterii notas fa-

---

*a)* 2 Apr. 1802. II. 15.

eere praefecturae circuli *b*), duplex exemplar earumdem illi exhibendo *c*). Quamprimum amenniae in quodam Religioso indicia animadvertunt, statim praefecture circuli id indicent *d*). Ad praeservanda contra suppositionem et falsificationem monastica documenta universo clero religioso injunctum est, ut edenda ab ipsis documenta a superiore monasterii manu propria cum conventu subscribantur, neque uni tantum Sacerdoti, quemadmodum hactenus in quibusdam coenobiis et monasteriis usitatum fuit, facultas talia documenta nomine Superioris et conventus subscribendi concedatur *e*).

§. 77.

*Potestas oeconomica. Ejusdem per legem amortisationis in acquirendis bonis immobilibus limitatio.*

Oeconomica Superiorum religiosorum potestas acquirendo bona temporalia, eaque administrando exeritur. Acquisitio bonorum temporalium quoad coenobia et claustra per sic dictam amortizationis legem limitata est. Jam per leges Maximiliani et Ferdinandi I. Imperatorum translationis bonorum immobilium sine praescitu et consensu Imperantis in clerum fuit vetita *a*). Leopoldus I. secularibus interdixit sub poena nullitatis immobilia bona sine Imperantis approbatione clero vendere, impignorare, donare, testamentis legare, vel qualicunque modo alienare, tradere

---

*b*) 14 Apr. 1782. — *c*) 7 Apr. 1783. pro Boh. — *d*) 8 Juli 1783. — *e*) 27 Mart. 1787.

*a*) 5 Jan. 1518. 14 Oct. 1524.

et impendere b). Carolus 6<sup>us</sup> prohibitionem ad-didit, ne immobilia bona, fundi, realites Reli-giosis longiori, quam trium annorum, tempore locentur, jure antichretico vel qualicunque alio titulo possidenda committantur, utque completo triennio tales sine Imperantis consensu initi contractus sint invalidi; voluit porro, ut sub his pro-hibitionibus etiam amphoraticum aliaque ejusmodi vectigalia comprehendantur c). M. Theresia non tantum has prohibitiones confirmavit, sed etiam monasteriis et claustris per Bohemiam et Moraviam interdixit in dominiis suis subditorum agros, dum alienantur, sine consensu Imperantis sub praextu dominii directi ad se pertrahere i. e. jure retractus contra vendentem uti d); quam consti-tutionem Josephus II. ad Austriam quoque exten-dit e). Per antiquiores amortizationis leges a Ma-ximiliano, Ferdinando, Leopoldo I<sup>is</sup> et Carolo 6<sup>o</sup> promulgatas in omnibus casibus, in quibus im-mobilia bona et realites coenobiis et claustris venditae, ultra tres annos locatae, aut alio titulo possidendae traditae, vel ab ipsis coenobiis quo-cunque illegitimo modo ad se pertractae fuerant, jure retractus uti secularibus concessum erat. Ast modo hoc non amplius obtinet, quia omne jus retractus a Josepho II. sublatum f) est, excepto eo, quod in contractibus speciatim reservatur g). Si olim religiosae communitates Imperantis con-sensu expedito jus boni immobilis acquirendi ob-tinuerint, frequenter aliud aequivalens alienare jubebantur h). Subsequo tempore fors per me-

---

b) 20 Oct. 1669. 18 Jan. 1673. 19 Febr. 1689. — c) 12 Sep. 1716. 3 Sept. 1720. 20 Febr. 1736. — d) 14 Jul. et 11 Oct. 1753. — e) 22 Jun. 1781. — f) Cod. civ. de anno 1787. II. cap. §. 4 et 6. Vdg. 8 Mart. 1787. — g) 27 Apr. 1787. — h) 14 Jul. 1753.

ram consuetudinem, (nam nulla desuper constitutio invenitur), invaluit, ut quaelibet communitas religiosa acquisita aliqua realitate ad alteram aequalis valoris alienandam adstringeretur; sed haec limitatio post erectum fundum religionis pariter cessavit; quia cum is pro bono religionis, prout necessitates exposcunt, impendatur, etiam communites religiosae cessant esse manus mortuae *i).* Per istam dispositionem seu potius per adnexam ipsi rationem lex amortizationis vigens et pro bono status secularis subsistens relate ad incapacitatem monasteriorum per successiones acquirendi non est sublata, sed tantum unicum ejus punctum, illud nempe, quod communites religiosae facultatem novas realitates acquirendi non habebant, quin de antiquis ejusdem pretii realitatem alienent, cessavit; et claustris generaliter concessum aere suo parato realitates sine praedicta limitatione sibi comparare *k).* Omnis itaque acquisitio bonorum immobilia et realitatum per coenobia et claustra est adhuc invalida, si absque Imperantis consensu fiat. Tantum portiones montanisticas (cuxas) cum accessoriis emere est illis licitum, si vero has per successionem aut donationem obtinere vellent, juxta clare sonantem amortizationis legem procedendum esset *l).*

§. 78.

*Limitatio in acquirendis rebus mobilibus.*

Maria Theresia jam ab Alberto II. Duce 1340 latam et ab Imperatore Ferdinando I. renovatam

---

*i)* 14 v. 22 Jul. 1784. — *k)* 24 Jan. v. 17 Febr. 1785. —

*l)* 11. 13. v. 23 Mai 1781.

ast parum observatam *a)*) amortizationis legem etiam ad acquisitionem bonorum mobilium extendit. Omnes secularium bonorum acquisitiones in quibuscumque rebus consistentes, et a quounque protectae, quounque titulo (gratuito tamen) aut modo, per actus inter vivos et mortis causa, consequenter per successionem ex testamento vel ab intestato ordinibus religiosis et monasteriis utriusque sexus in regula sunt prorsus prohibite *b)*). Inter modos bonorum acquirendorum interdictos speciatim numerantur omnia pecuniaria negotia per Cambium *c)*, et contractus vitalitii cum personis secularibus, qui eo tendunt, ut hae sua bona coenobio vel monasterio adhuc vita comite in proprietatem sub ea conditione tradant, ut coenobium vel claustrum ipsis toto vitae suae tempore de victu, potu, vestitu, aliisque necessitatibus provideat, post mortem eas sepeliat, et aliquot missarum Sacrificia pro refrigerio animarum celebrari curet *d)*; tandem apochae ab ordinis Superioribus nomine proprio datae de perceptis usuris ob sortem ad tertium, etsi is in claustro commoretur, non vero ad claustrum pertinente, nam hac ratione monasterium in continua exactonis possessione manere, et sensim sortem ipsam sine consensu acquirere posset. In poenam talium illegalium actuum Praepositus ordinis duplam notatae in apocha summae ad casam pauperum solvere tenetur *e)*.

---

*a)* 12 Mart. 1526. in cod. Austr. T. II. pag. 488. — *b)* 26 Aug. 1771. §. 4. 2 Mai 1772. — *c)* 20 Mart. 1772. §. 1. — *d)* 28 Aug. 1779. — *e)* 14 Apr. 1775.

§. 79.

*Exceptiones ab hac limitatione.*

Ab exposita initio praecedentis §i regula sequentes obtinent exceptiones

1º A lege amortizationis illud exemptum est, quod tanquam vera elemosyna monasteriis et ordinibus datur *a).* Attamen cum exclusione ceterorum regularium illis solum, qui ad numerum mendicantium pertinent, et quibus simul propter defectum sufficientium fundationum collectio auctoritate publica conceditur, titulo elemosynae aliquid dari potest. Si ejusmodi elemosyna summam 100 florenorum vel plus efficiat, ea ut fructus ferat, in aliquo publico fundo collocetur, et donum ejusmodi aut legatum sub poena amittendae elemosynae absque mora Gubernio notificetur *b).* Haec lex adhuc valet et viget, licet interim jus instituendi collectiones sublatum fuerit *c).*

2º Id, quod tanquam legatum pro missae sacrificiis et anniversariis, aliisque hujusmodi piis fundationibus, claustris et ordinibus relinquitur *d).* Pro uno missae sacrificio Religiosis ad sumnum unus florenus solvendus aut fundandus est; quod tamen non extendendum est ad solemnia missarum seu missas cantatas, pro quibus porro dependi potest stipendum usitatum; pari quoque modo pro celebratione anniversarii, lytaniarum, orationum, benedictionum, alteriusve sacrae functionis, quantum remunerationem admittunt, non majus, quam consuetum aut in edicto stolam concernente determinatum stipendum Religiosis qualunque ratione tribui potest *e).* In casu talis

*a)* 26 Aug. 1771. §. 4. — *b)* 28 Jan. 1775. — *c)* 23 Jul. 1805. —

*d)* 26 Aug. 1771. §. 4. — *e)* 28 Jan. 1775.

perpetuae fundationis destinata ad eam pecúnia aut sors nunquam ordini aut monasterio tradatur, sed in publico fundo collocetur, et pro conservatōne ejusdem a dicasterio competente juxta praescriptas pro rebus fundationalibus normas cura habeatur f). Ast pia legata generatim pro liberatōne et quiete animae testatoris sine accuratiori obligationis determinatione relictæ non qua summae fundationis, sed qua manualia legata sunt consideranda; et summa, sit quantavis, intentioni testatoris conformiter statim legatariis solvenda est, qui dein de facta ejusdem ad pium usum applicatione competenti dicasterio fidem facere tenentur g). Taliū nempe legatorum tertia pars in missae sacrificia, aliae duae partes vero in elemosynas pauperibus, quibus preces pro testatore fundendae injungantur, distribuendas impendantur \*).

3º Id quod candidatus aut candidata nomine dotis per leges admissae ordini aut claustro adfert; vel quod aliquis ante professionem testamentum condens novitius eidem alio modo obtingere facit, ita tamen, ut hac summa computata legale dotationis Quantum nequaquam excedatur h). Tandem

4º recentioribus temporibus crescente rerum charistia ordini fratum misericordiae i), et claustro Clarissinarum Sandeciensi in Galicia k) jus haereditates capiendi ex testamento ad tempus indefinitum, tributum est. Instituta vero domicellarum Anglicarum l), Ursulinarum m), Elisabethinarum n), Salesianarum o), item Scholarum

---

f) 25 Aug. 1771. §. 4. — g) 19 Jan. 1809 — \*) 17 Sept. 1812 — h) 26 Aug. 1771 §. 3. et 4. 2 Mai 1772. 17 Dec. 1780. — i) 16 Aug. 1805. — k) 15 Mart. 1811. — l) 6 Mai 1805 — m) 19 Jul. 1805. — n) 3 Oct. 1806 — o) 14 Jul. 1808. 12 Mai 1815.

piarum p), et Mechitaristarum q) pariter ad indefinitum tempus a lege amortizationis exempta, ac ad omnes mobilium et immobilium honorum, per actus inter vivos et mortis causa acquisitiones habilia sunt declarata. Sed fratres misericordiae et Clarissinae Sandecienses haereditatum captarum summas, cetera vero Instituta factas acquisitiones qualibet vice Gubernio significant, ut notitiam statutus honorum cuiusvis Instituti continuam habeat. Interim constitutiones, per quas quibusdam religiosis Institutis exemptione a lege amortizationis concessa est, ita solum sunt intelligendae, ut harum vigore ista ordinum Instituta immediate quidem nomine proprio, tam per actus inter vivos quam mortis causa acquirendi sint capacia; nequaquam vero ita, ut illa nomine Professi legitimam, vel portionem ab intestato ex haereditate suorum consangvineorum petere, aut id acquirere possint, quod immediate singulis professis testamento relinquitur. Ejusmodi dispositiones in favorem professorum aquisitionis incapacium factae porro quoque invalidae et inefficaces sunt r). Attamen per hanc declarationem quoddam antiquum privilegium non videtur esse sublatum, vi cuius singulae personae Instituti Anglic. domicellarum omnium acquisitionum per actus inter vivos et mortis causa tam ab intestato, quam ex testamento, excepta unica immobilium acquisitione, capaces esse declarabantur s).

### §. 80.

*Specialis limitatio acquisitionis per candidatos titulo dotis.*

Quantitas dotis, quam alicui in patrium, aut

p) 10 Dec. 1812. — q) 23 Dec. 1814. v. 20 Jan. 1815. —

r) 10 Mart. 1809. — s) 11 v. 21 Mai 1774. 6 Mai 1805.

cum singulari consensu in exterum claustrum et ordinem ingredienti candidato vel candidatae, qui ex Austriacis subditis sunt, adferre licet, sine discrimine ordinum religiosorum in 1500 florenis consistit, et tantum ex bonis mobilibus constare debet. Hac summa non tantum dos proprie talis comprehenditur, sed in eandem etiam supellex, item omnes aliae expensae quoquaque nomine aut praetextu occasione suscepti habitus et professionis facienda, dein res, ingredienti titulo ingressus donatae aut legatae, denique etiam illae, quas ipse profitens monasterio per actus inter vivos vel mortis causa tribuit, imputandae sunt a). Quin immo et ea summa, quam Novitius in suo ante emissam professionem condito testamento, aut in alia voluntatis ultimae declaratione ad pios usus alicujus ecclesiae, aut ad aliam piam causam legat, imminuit dotem, et ab illis 1500 florenis subtrahenda est b); quam summam neque ditisimi candidati vel candidatae indigenae dos excedere potest. De minori autem summa danda convenire cum monasterio parentibus et tutoribus candidatorum semper licet. Unice vitalium cum libera disponendi de eo facultate parens vel consanguineus ingredienti monasterium ad tempus vitae assignare potest; cuius tamen quantitas ad summum annue 200 florenos aequet, nunquam claustro vel ordini tradenda, sed in publico fundo vel alio seculo loco collocanda, ut post mortem usufructuarii Religiosi ad eos, quibus de jure competit, perveniat c). Ipse etiam Novitius propria bona possidens et ante emissam professionem te-

---

a) 26 Aug. 1771 §. 1. 3. — b) 17 Dec. 1780. — c) 26 Aug.  
1771. §. 112.



stamentum condens in eodem sibi ex suis bonis vitalium reservare potest, quod pariter in legalem dotis quantitatem non imputabitur *d*). Omnes actus inter vivos et mortis causa attentati contra has amortizationis leges vel palam sub ipso etiam praetextu p*i* operis e. g. legati ad ecclesias, carum ornatum, ad confraternitates et spirituales foundationes etc. sunt nulli et invalidi: transgressores cum iisdem, qui quacunque ratione et modo cooperabantur, condignis pecunariis muletis aliisque animadversionibus severe plectendi, denunciantesque solutione consuetae partis remunerandi sunt *e*).

### §. 81.

#### *Exceptio respectu dotis et vitalitii.*

Recentiori tempore propter auctum alimentorum pretium per modum exceptionis, ut plurimum tenuiter dotatis ordinum Institutis Ursulinarum, Salesianarum, Elisabethinarum, fratrum misericordiae, et scholarum piarum prout etiam generatim omnibus ordinum communitatibus, quae informatione juventutis et cura infirmorum occupantur ac in praedicto (exiguae dotationis) casu versantur, concessum est majorem dotem usque 3000 florenos sed pariter observat*s* priscis §. 80. explanatis modalitatibus acceptare *a*). Eadem ratione claustro Clarissinarum Sandeciensi in Galicia aeque ac claustris Ursulinarum major candidaturum dos ad indefinitum tempus indulta est *b*). Permissum quoque est, ut vitalium candidati ad

*d*) 17 Dec. 1780 — *e*) ibid §. 5. 28 Jan. 1775. 17 Dec.  
1780.

*a*) 13 Jun. 1804 — *b*) 15 Mart. 1811.

communitates religiosas a lege amortizationis exemptas spectantis, legaliter Aº. 1771 ad 200 florenos restrictum, ab ejus agnatis et fautoribus ad 300 florenos augeri possit c). Simplex aut aucta dos, vel ejus supplementum Religioso, qui per professionem incapax factus est ad acquirendum persuccessionem, per aliquam ipsi, post professionem, obtingentem haereditatem aut delatum legatum pro ordine vel clauistro acquiri non potest. Tantum Piaristae fruuntur privilegio, vi cuius emitentes professionem post quartam Martii 1780 casu, quo tempore professionis quantum legale dotationis 1500 florenorum affere non poterant, hoc ipsum quantum aut ejus supplementum, si ordo per pactum minori quantitati non acquieverit, per futuras haereditates pro ordine acquirere possunt d). Hoc tamen beneficium ex natura privilegiorum, quae non sunt ad exemplum trahenda, ad maiorem illam summam, quam modo supra antiquum dotationis quantum jure acceptare possunt, nequaquam extendendum est.

### §. 82.

#### *Restrictio in administrandis bonis.*

Coenobiis et monasteriis libera quidem suorum bonorum administratio, ast tantum quoad usumfructum pro congrua statui sustentatione permissa est a). Libera ergo administratio etiam mineraliarum b) in suis bonis ac sylvarum c), quarum

c) 10 Mart. 1809. — d) 20 Mai 1780. —

a) 29 Apr. 1791 in concessionibus Leopoldi II. Ipro statibus Moraviae ad querelas Praelatorum n. VII. 29 Jul. 1791 pro statib. Aust. super. 1. sect. n. XVII. et XX. 28 Oct. 1791 pro statib. Boh. 1 Sect. n. X. XII. 26 Jun. 1806. — b) 6 Jun. 1791 — c) 28 Oct. 1791. 1 Sect. n. XII.

illae sub Josepho II. a camera montanistica et monet. aulica *d*), hae vere quadamtenus ab administratione dominiorum publicorum dependebant *e*), religiosis communitatibus generali adhibita cautione, ut observent editas desuper leges et ordinationes, denuo competit. Sunt tamen in administrandis bonis vario modo limitatae. — In omnibus claustris et coenobiis foci parsimoniae introducendi sunt \*). Cum Superiores coenobiales et claustrales non qua domini, sed tantum qua usufructuarii et responsabiles administratores pertinentium ad monasteria bonorum considerari possint: in omnibus persistentibus coenobiis, monasteriis eorumque ecclesiis non tantum res pretiosae ac thesauri ecclesiae, sed etiam omnia bona ad hasce communitates spectantia in fidele et exactum inventarium, in quo res pretiosa quaelibet cum suo pretio accurate descripta sit, referri debent; quod quidem non amplius quovis triennio, attamen semper post mortem cujuslibet Superioris renovandum est *f*). Rubricae hujus inventarii sunt lege definitae *g*). Omnes olim usitatae sic dictae capsae provinciales sub quocunque praetextu et nomine existentes prorsus sublatae sunt et prohibitae. Nulli ordinis Superiori cujuscunque characteris licitum est pertinentes ad unam ordinis domum pecunias aut alias res accipere, ut eas in usum alterius conventus impendat. Si quis conventus subsidio aliorum opulentiorum monasteriorum ejusdem ordinis indigeat, id Gubernio indicandum est. Attamen Provincialibus concessum est, ut a subordinatis sibi claustris annue

---

*d*) 4 Jul. 1787 — *e*) 24 Mart. 1787. 13 Dec. 1788. — \*) 20 Oct. 1812 — *f*) 3 Aug. 1791. 20 Jun. 1792 — *g*) 10 Sept. 1805.

parvum subsidium pro ferendis itineris et epistolarium sumptibus postulent. Superioribus singulorum conventuum administratio bonorum ipsis priorum exclusive est permissa, et ipsi soli actus suorum procuratorum praestare debent. Omnes quomodocunque, et a quoque contra hanc legem positi actus pro nullis declarati, atque transgressores depositione et incapacitate ad gerenda porro munera, item pro rei adjunctis, gravioribus etiam poenis plectendi sunt *h).* Omnes missiones pecuniarum in exteris ditiones sive in aere parato, sive per cambia sub omni praetextu, sive pro missarum stipendiis et aliis pietatis exercitiis, sive ex causa collocationis earundem in exteris mensis argentariis, aut pro donariis ordinis Generali faciendis, etiam in minimis summis cuilibet clauistro et ordini religioso utriusque sexus sine Imperantibus speciali consensu, sub poena confiscationis vel pendenda aequalis summae, sub incapacitate superioris contra legem agentis ad alia ordinis munera gerenda, et repetita transgressione sub poena tollendi claustrum sunt interdictae *i).* A coenobiis et claustris nullum novum magnas expensas requirens aedificium sine praevia Gubernii investigatione et consensu inchoandum est *k).* Ipsi quoque injunctum est nihil de suis bonis et preventibus sine Imperantibus consensu aliis pignori vel hypothecae dare, ad dies vitae pauciorum plurimum corporum, vel ad definitum annorum numerum elocare, etiam nullum desuper contractum locationis pro tota vita aut certis annis ita inire, ut pecunia anticipetur, aut subsequens reli-

---

*h)* 1 Apr. 12 Jul. 1775 — *i)* 4 Sept. 8 Nov. 1771. 3 et 24 Mart. 1781. n. 8. 9 Feb. 1784 — *k)* 21 Mart. 1715. 18 Jul. 1729.

giosus possessor obligetur. Omnes ejusmodi contractus sunt irriti et invalidi *l*). Hinc coenobium aut claustrum sine Gubernii consensu propria auctoritate alicui e. g. clero, qui 23io suae aetatis anno presbyter esse, ast nondum professionem emittere potest, titulum mensae concedere nequit *m*). Speciatim ad domus claustrorum et coenobiorum nullae porro intabulationes, et praenotationes contractuum locationis, et mutui, aut aliorum cujuscunque nominis documentorum valorem talium domorum minuentes sunt annuendae *n*).

§. 83.

*Imprimis in alienandis.*

Omnibus imprimis religiosis communitatibus quaevis alienatio mobilium et immobilium bonorum sine Imperantis consensu jam per leges Imp. Ferdinandi I. *a*), Maximiliani II. *b*), et Leopoldi I. *c*) vetita, et omnis eo tendens contractus pro irrito declaratus fuit. Josephus II. memoriam harum legum resuscitavit et in eundem finem sequentes statuit normas: Universo clero, sive communitates seu singulae sint personae, omnis venditio, permutatio, renunciatio, donatio, uno verbo quaeviis alienatio monasticorum aut ecclesiasticorum bonorum quoconque nomine et praetextu sine praevie a Gubernio in hunc finem petito et obtento consensu prohibita est. Ista prohibitio ad alienationem cuiuslibet monastici aut ecclesiastici

---

*l*) 14 Apr. 1545. 31 Oct. 1552. 20 Jun. 1575 — *m*) 28 Jun. 1782 — *n*) 22 Oct. 1811 ap. Kopeczky: *Versfahren in Grundbuchsachen p. 230.*

*a*) 14 Apr. 1545. 31 Oct. 1552 — *b*) 22 Dec. 1567. 1 Jul. 1568. 20 Jun. 1575. — *c*) 2 Jan. 1681.

boni, puta fundos et realitates, pecunias creditas, pretiosa, mobilia cuncta, quae ad oeconomiam tractandam non spectant, ad omnes certos et incertos annuos proventus, aut redditus qualicunque nomine gaudentes extenditur. Si quis in possessionem rerum ejusmodi sine Imperantis consensu veniat, non tantum eas amittit, sed etiam poena adjunctis attemperata affligitur. Illis autem religiosis communitatibus et singulis personis, quae bonum tale quoque modo alienarunt, usque ad totalem alienati redintegrationem proventus subtrahuntur. Denuncianti ejusmodi alienationem, cuius nomen reticendum est, perceptio usurarum, quae in florenis quatuor pro centum pretii ex alienata realitate aut ex re pretiosa redacti promissa est, nisi forte ipse possessor aut religiosus Superior sit denuncians, qui ad ejusmodi denunciationem alioquin obligantur *d*). Paucis: ex relatis semel in claustris vel ecclesiae inventarium rebus sine Gubernii consensu nihil alienari potest *e*); et si quid sine consensu alienatum sit, id ex currentibus coenobii vel claustris proventibus sensim est redintegrandum *f*). E contra concessa generatim emptoribus realitatum sublatorum claustrorum et coenobiorum habilitas possessionis et consequenter remissio solvendae pro admissione ad hanc possessionem duplicis taxae etiam ad emptores realitatum subsistentium adhuc claustrorum est extendenda, quamprimum venditio earumdem permittitur *g*).

---

*d*) 5 Oct. 1782. 16 Nov. 1786. — *e*) 3 Aug. 1791. — *f*) 20 Jun. 1792. — *g*) 27 Nov. 1786.

§. 84.

*Corollaria ex lege prohibente alienationem deducta.*

Ex his generalibus de alienatione principiis sequentia fluunt corollaria: nulla ad communatatem religiosam spectans pecunia, tabulae provinciali, et civitatisibus vel dominicalibus libris inscripta, vel in cassa statuum provinciae collocata repeti vel jam repetita recipi potest, nisi consensus Imperantis impetratus ostendatur *a*). Nullum creditum subsistentis adhuc monasterii vel coenobii sine expressa politico - aulici dicasterii approbatione ex libris publicis delendum est *b*). Clero religioso sine licentia Gubernii sub gravissima animadversione est vetitum mutuas sumere pecunias, proque iis oppignorare bona sua, talis sine Gubernii consensu initus mutui contractus est invalidus, quia augmentum passivi status semper decrementum activi bonorum status post se trahit *c*). Superioribus vel administratoribus monasteriorum sub poena invalidandae obligationis sine praescitu et consensu Gubernii nihil, ex quo monasterium obligetur, est mutuo dandum *d*). In dandis monasterio, consentiente Gubernio chirographis pro accepta mutuo pecunia semper numerus et dies gubernialis consensus necessario exprimendus est, secus syngrapha ipsa invalida habetur *e*). Si quod claustrum alteri dando mutuum subvenire velit, utrumque desuper consensum petat, quia claustrorum status sine Gubernii scitu

---

*a) 10 Sept. 1782. 16 Nov. 1786. — b) 30 Aug. 1792. — c) 16 Febr. 1783. 26 Jan. 1714. 18 Jul. 1729. 10 Febr. v. 12 Mart. 1791. 12 Jul. 1810. — d) 16 Nov. 1786. — e) Gblvdg. in Boh. 2 Jan. 1800.*

nec in personali, nec in pecuniali licite mutari potest *f*). Qui claustris et coenobiis merces aut manufacta sine pecunia praesenti vendit, et solutionem exigere neglit, postea a judice amplius non auditur *g*). Non tantum viventibus in claustro vel coenobio religiosis, sed etiam iis, qui per incorporatas parochias qua parochi aut capellani expositi sunt, mutui acceptio sine Imperantis consensu pari modo, ut monasterio et coenobio ipsi, vetita est. Mutuo dans, si secundum legalem normam non procedat, repetens pecuniam ab ejusmodi expositis religiosis, nullum a judice auxilium impetrabit; neque ipsius actio contra coenobium aut claustrum acceptabitur. Quod sic dicta debita currentia ob venditas merces et manufacta sine pecunia numerata concernit, pro expositis a coenobio vel monasterio religiosis eadem valet dispositio, qua praecipitur, ut exactio ejusmodi debitorum a coenobiis et claustris ultra trimestre non differatur *h*). Ast illa dispositio *i*), vi cuius a monasteriorum Superioribus instantे solutione mutuo acceptarum pecuniarum id praevie Gubernio notificandum, impendendaque in hunc finem pecuniae specifice nominandae, a creditore liquidatio crediti coram procuratura camerali exhibendo syngrapham facienda, atque sic demum licentia solvendi debiti exspectanda erat, pro sublata declarata est *k*). Pro Galicia existat speciale decretum aulicum statuens, quid agendum sit, ne, si communitati religiosae recipienda a debitoribus nuncietur pecunia mutua, ea longiori tempore sine usuris maneat *l*).

---

*f*) 1 Jul. 1783. — *g*) 14 v. 28. Aug. 1786. — *h*) 27 Nov. v. 10 Dec. 1789. — *i*) 12 Dec. 1782. — *k*) 10 Febr. v. 12 Mart. 1791. — *l*) 15 Sept. 1808.

De cetero cum monasteriis relate ad sua bona eadem jura, quae privatis, competant: nec illa coguntur contra suam voluntatem solutionem debitae ipsis pecuniae a debitoribus in syngraphis publicis acceptare m).

§. 85.

*Limitatio respectu reinfeudationis, ac preventum residuorum.*

Feuda, quorum collatio ad coenobia et monasteria spectat, quaeve a secularibus possessoribus tenentur, in casu aperturae reinfeudationi non subsint; sed si per defectum seminis aut alio modo aperiantur, ad fundum religionis trahantur a), ac in ejusdem augmentum sublato nexu feudali majus licitanti in publica auctione pretium tradenda sunt b). Haec dispositio tamen solum ad Austria-  
ca, non vero ad extera coenobia et claustra per-  
tinet c). Quapropter Praelati et Abbates fidelem consignationem ac descriptionem talium feudorum, adnotatis modernorum possessorum nominibus ac percipiendis inde redditibus, elucubrare debebant, cuius unum exemplar apud Gubernium, aliud apud officium fisci, tertium apud dicasterium politico-  
aulicum asservatur eo fine, ut in casu apertuae, memoratae constitutionis sedula executio urgeri possit d). Hinc ista olim ad fundum religionis devolvenda feuda amplius debitum onerari non pos-  
sunt, et si quibusdam debita inhaerent, eorum citissima depuratio procuranda, ne facta feudi ad fundum religionis devolutione huic debitorum so-

---

m) 11 Aug. 1803.

a) 4 v. 24 Febr. 1787. — b) 8 Jan. 1789. — c) 3 Jul. 1787.  
d) 4. v. 24 Febr. 1787.

lutio, incumbat e). Interim modernis talium feudorum ecclesiasticorum possessoribus liberum est, haec feuda redimere persoluto justo, de quo cum ipsis convenitur, ad fundum religionis reponendo pretio f). Tenetur tamen Gubernium, si ejusmodi preces de convertendis in allodia feudis monasticis ipsi porriguntur, semper coenobium, ad quod spectant, qua feudi dominum directum audire, ultimaeque investituree litteras in copia exhibendas curare g). Tandem coenobia residuos, quibus non indigent, proventus fundo religionis tradere; reliqua vero monasteria ob imminutum intra numerum normalem, statum personalem et ob remotam valde spem eundem intra breve tempus redintegrandi superfluos habentia proventus, exceptis mendicantium claustris, destinatam sustentatione Individuorum nunc deficientium portionem suorum reddituum foenori locare obligantur. In hunc finem tam personarum et bonorum suorum statum, quam etiam congruam suis necessitatibus summam, ac resultantem inde foenori collocandam reliquam suorum proventuum quantitatem annue secundum conscientiam notificare tenentur. Ad consequendam autem de veritate talium notificationum certitudinem, quae occurrente casu indubium earumdem usum admittat, ejusmodi monasteriis sub comminatione proportionatae proventibus eorum multiae pecuniariae, et depositione eorum Superiorum ab officio et dignitate injunctum est, ut accuratas et documentis necessariis suffultas rationes redditum et expensarum assumtis in subsiduum aliquot convenientis membris confiant, quae ab existente in loco Rationaria provinciali omni occasione, alibi vero

---

e) 12 Mart. 1789. — f) 4 v. 24 Febr. 1787. — g) 7 Febr. 1790.

a praefectura circuli occasione visitationum consuetarum inspici possint h).

§. 86.

*Inspectio administrationis bonorum coenobiis et monasteriis propriorum.*

Ad conservanda Religiosorum originaria bona praefectoris circulorum et Guberniis curam gerere incumbit, ut nulla in iis essentialis mutatio per operationem vel alienationem aut aliis viis accidat, quin tamen per partes in oeconomiam se immisceant, excepto casu, quo alicubi prodigae administrationis denunciatio fieret, quae accuratiorem postularet inspectionem a). Gubernium idoneis occasionibus per circuli officiales investiget, an relata in inventarium bona et pretiosa adhuc reipsa existant, nec ne. Etiam missis ad electionem Superiorum Commissariis est injungendum, ut inventa pretiosa cum inventario et generatim conscriptum in veteri inventario bonorum statum cum praesenti comparent, causas aucti vel imminuti status eruant, et utrumque in exhibenda relatione indicent b). Pari modo Gubernia et administrationes bonorum publicorum inspectionem suam etiam ad bonam culturam et conservationem sitarum in coenobialibus aliisque ecclesiasticis territoriis sylvarum extendant, ut facta alicuius hac in re defectus delatione statim in loco ipso inquisitio a Guberno institui, ac necessaria medela adferri possit. Si igitur delatio commissi in sylvis, aut aliis oeconomiae partibus per coenobia et monasteria excessus fiat, id per administrationem bo-

---

h) 19 Jul. 1804. 26 Jun. 1805.

a) 10 Apr. 1789. 14 Aug. 1786. — b) 3 Aug. 1791. 10 Sep. 1805.

norum publicorum Gubernio statim significetur; quod dein necessaria ad ulteriorem inquisitionem curabit c). Non est admittendum, ut claustrum aliquod vel ordo per superfluas expensas debitis se obruat, ac propter perversam Praelatorum, Superiorumve oeconomiam ad incitas redigatur. Hinc Guberniis mandatum est, ejusmodi Superiorum moribus attento oculo invigilare, atque si quis aut quae Superior claustri coenobiive accumulatione debitorum vel sinistra oeconomia excedat, statim convenientem adjunctis ferre medelam, omniaque facere, quae necessaria judicaverint ad conservandam communitatem religiosam d).

§. 87.

*Modus procedendi respectu monasterii ultra modum obaerati, si tantum foundationalia, consequenter inalienabilia adsint bona.*

Si coenobio multis debitibus gravato nulla sint ad liberam dispositionem spectantia, sed solum fundata bona, aliud internum medium debitibus exonerandi tale monasterium non suppetit, quam expensas imminuendi, meliorem oeconomiam introducendi, parsimonia utendi, atque exinde residua solvendis legitimis debitibus impendendi. Hinc omnes, quorum interest, creditores convocandi sunt; tum ipsis malus coenobii status ac inalienabilitas paucorum, quae supersunt, bonorum fundatorum exponatur, creditores consensum Imperantis habentes ad remissionem jam debitaram et cessurarum imposterum usurarum persvadeantur; creditoribus vero Imperantis consensu non provi-

---

c) 10 Apr. 1789. — d) 31 Aug. 1771.

sis probatio versionis pecuniae mutuo datae in rem monasterii injungatur, et quatenus fieri potest, etiam hi inducantur ad remittendam partem sortis et usurarum pro casu subsecuturae approbationis supremae. Ut vero melior rei familiaris administratio geratur, prodigus monasterii Superior ab ea gerenda penitus excludatur, eaque alteri, a tractanda re familiari claro Abbati committatur; cui per creditores proponendus, et per Gubernium (modo per forum nobilium) juramento adstrictus quaestor (modo administrator bonorum) adjungatur, hi dein Gubernio (foro nobilium) trimestres relationes annuasque rationes administrationis reddant; Gubernium (forum nobilium) autem redditas accitis aliquot creditoribus dispungat, atque residuum ad solvenda debita impendat. Ex conventionalibus aliqua individua ad alia bene dotata ejusdem ordinis claustra transferantur, nec interim nova recipientur. Reliqui religiosi cibis numero paucioribus alantur, fercula extraordinaria in festis primae classis, banchalium, et venae secundae temporibus, nec non hospitalitas usque auctos proventus suspendantur, communis mensa introducatur, cuiilibet conventionali annue pro victu et hospitio 200 floreni, Praelato autem pro se et famulo uno 400 floreni assignentur, familium monasterii utriusque sexus praeter summe necessarios servos dimittatur, ulteriorque oeconomiae emendatio administranti Abbati relinquatur. Tandem pendentes inter monasterium obaeratum et alias lites decidantur; classificatio creditorum praevie sortis et usurarum pro parte facta remissione adornetur et promulgetur, creditoribus juxta seriem classum ex annuis, qui juxta tenorem rationum residui sunt, proventibus sensim quoad sor-

tem satisfiat; et quid hocce in **negatio praestitum** fuerit, quotannis ad aulam referatur \*).

§. 88.

*Egressus Religiosi ex ordine.*

Egressus religiosi ex ordine triplici modo fieri potest;

1º per declaratam professionis nullitatem. Haec declaratio ex decreto Conc. Trid. per professum intra quinque a die factae professionis annos coram suo Superiore i. e. monasterii, in quo ea emissa fuit, et coram ordinario petenda est; implorans interea nec ordinis habitum exuere, neque sine licentia Superiorum ex claustro discedere potest, secus gravamen ejus non auditur, excepto casu perpetui impedimenti e. g. si mas in claustro faeminarum professionem emisset. Casus, in quibus de nullitate professionis sententia ferenda est, non amplius Romam devolvuntur, sed aequa ac aliae foro ecclesiastico obnox ae causae in prima instantia ab Episcopo dioecesano, in secunda vero juxta praescriptum ordinem a patre Metropolita dijudicandi ac decidendi sunt b). Si facta appellatione a sententia ordinarii ad metropolitam, vel ab isto aut etiam immediato Episcopo in prima instantia judice ad ejus judicium delegatum diversae sententiae ferantur; secundum constitutionem A 1782. 23 Aug. procedendum est c). Modo haec unica adhuc foris ecclesiasticis relicta causa contentiosa iisdem ademta videtur esse; quia recentior resolutio cc) aulica dicit: In causis

---

\* ) 17 Nov. 1724.

a) Sess. 25. cap. 10. de regular. — b) 13 Nov. 1788. —

c) 17 Febr. 1789. — cc) 4 Mart. 1814.

nullitatem votorum religiosorum ob defectum legitimae aetatis concernentibus via politica procedatur.

2º Per transitum ex uno ordine ad alium, qui tamen ex laxiori solum ad strictiorem est permisus e). Ad ordinem, cuius membra secundum commune jus ecclesiasticum a secularibus beneficiis non sunt exclusa, uti sunt canonici regulares, translati Religiosi secularia beneficia obtinere non possunt f).

3º Per dispensationem seu secularizationem; communiter tamen limitata dispensatio, nempe licentia extra claustrum vivendi, haereditates capiendi, et testandi, manente porro obligatione pro parte virili vota servandi tribui solet. Omnes utriusque sexus Religiosi dispensationem a votis anhelantes immediate ad suos Ordinarios preces deferant g). His liberum est secularizationem aut ex plenitudine propriae potestatis elargiri, aut eam a sede Apostolica gratis impetrare h). Preces pro obtainenda secularizatione ab Episcopis Romae tantum cum consensu aulae et solum mediante C. R. ibidem constituto Agente, aut si privatum procuratorem praeoptent, nonnisi indulta dicto Agenti bullarum inspectione interponi possunt: secus Placetum regium (quod aequa quoad haec, ut quoad alia Pontificia Rescripta impetrandum est) absque omni respectu denegatur i). Secularizationis Rescripta Roma immediate ad ordinariatum et non amplius ad Nuncium expedienda sunt, in iisque omnis mentio, auditum fuisse hac super re Generalem ordinis, omit-

---

d) Conc. Trid. Sess. 25. cap. 19 de regular. — e) Cap. 1. de regular. inter extrav. com. — f) Conc. Trid. S. 14. cap. 11. de regular. — g) 25 Jan. 1782. — h) 15 Oct. 1803. 17 Dec. 1787. — i) 30 Apr. 30 Jul. 1807. 21 Jul. 9 Sept. 1814.

tenda, quia secus Placetum itidem non obtinetur *k*). Placeti concessionem super Rescriptis secularizationum sive a sede Apostolica sive ab Episcopo impetratarum sua Majestas immediate sibi reservavit, addens se nonnisi ex motivis jure canonico probatis id esse daturam *l*). Ejectio incorrigibilium Religiosorum ex ordine non habet amplius locum (*§. 65*).

§. 89.

*Jura secularizati Religiosi.*

Religiosus cum dispensatione ordinis valedicens ac ad statum cleri secularis transiens non habet equidem jus ea, quae usque ad ejus egressum reliquis haeredibus legitimis in seculo obtigerant, repetendi; nam possessores in obtentis bonis et juribus defendi debent: ast a tempore relictii ordinis et assumti status clerici sec. successionis cujusque haereditariae generatim, prout etiam aliarum acquisitionum per donationes etc. capax est, earumque particeps evadere potest *a*). Secularizatis pariter Religiosis quoad legitimam (portionem) eadem cum reliquis prolibus competent jura. Haec tamen dispositio etiam tantum de futuris casibus intelligenda, non vero ad praeteritos extendenda est; si nempe testator eo tempore obiisset, quo sua proles votis religiosis adhuc obstricta fuisse *b*). Si Religiosi dispensationem a votis suis impetrarint, iis licitum est per declarationem ultimae voluntatis de suis bonis disponere *c*). Habentur abinde instar secularium

---

*k*) 22 Mai v. 12 Jun. 1795. — *l*) 3 Jan. 1803.

*a*) 9 Nov. 1781. — *b*) 14 Dec. v. 28. 1786. — *c*) Ced. civ. univ. §. 573,

Sacerdotum, et in casibus intestatis haereditas eorum juxta generalem normam dividitur d).

§. 90.

*Sublatio monasteriorum.*

Gradus ad secularizationem proximus fit per sublationem Monasteriorum, quae in nostris dictiibus frequens fuit. Jam sub M, Theresia Societatis Jesu ordo A. 1773 sublatus fuerat, simulque decretum, ut Instituto Tertiariorum sensim tollendo manus admoveantur a). Hoc Decretum Josephus II. renovavit, sed paullo post alacrius in executionem deduxit, ordinis membra adstringendo ad exuendum religiosum habitum c), uti jam antea idem relate ad eremitas et anachoretas praeceperat d). Eodem tempore omnes conventus, claustra et hospitia illorum ordinum, qui vi suae regulae mere contemplativam agere vitam tenebantur, nempe de sexu masculino Chartusianorum et Camaldulensium, de sexu faeminino autem Carmelitarum, Clarissinarum, Capucinarum et Franciscarum e), postea etiam Trinitariorum f) et Paulinorum g) Instituta, multaque monasteria aliorum ordinum sunt sublata. Tantum illi ordines statuerunt retinendi, qui vel ad curam animarum in propriis parochiis administrandam, vel ad auxilium curatoribus animarum praestandum necessarii videbantur, quive educanda et informanda juventute aut curandis aegrotis occupabantur. Pro remanentibus Monasteriis numerus Religiosorum

---

d) 4 Jan. 1787.

a) 15 Jun. 1776. — b) 13 Jan. 1782. — e) 4 v. 24 Febr. 1782.  
— d) 12 Jan. 1782. — e) 12 Jan. 1782. — f) 23 Jan. 1783.  
28 Febr. 1784. — g) 25 Nov. 1784.

fixus statuerat, quo tamen neque expositi in parochiis et capellaniis, neque inutiles Emeriti continentur. Reliqua pro cura animarum non necessaria claustra sensim reduci, atque cum aliis ejusdem ordinis superstitibus uniri jubebantur *h*). Professis utriusque sexus ex ordinibus, quorum monasteria omnia sublata sunt, permissum fuit, aut in claustra ordinis extra ditiones Austriacas sita cum proportionato distantiae viatico sine spe tamen ulterioris pensionis emigrare, aut ad alium utilem ordinem cum anno subsidio sive pensione transire, aut cum eadem in seculum redire, aut separate à mundo in tranquilla quiete secundum ordinis regulas vivere. Religiosi sexus masculini in casu ultimo claustrum alterius ordinis, cui destinata pro ipsis pensionis summa persolvenda fuit, ad sigendam in eo sedem eligere poterant *i*). Monialibus autem dicatae huic scopo domus assignatae sunt, ubi in communione vivere, et pro lubitu inde quoconque tempore sine ullo impedimentoo ad seculum redire potuerunt *k*). Ast destinatis ad reductionem Religiosis non erat licitum ad seculum exire, sed quisque debuit se ad claustrum sibi assignatum recipere, nisi ex specialibus causis consensum ad petendum ab Ordinario transitum ad seculum ab Imperante impetrasset *l*). Sed cum plurimorum claustrorum et coenobiorum status personalis ab ultima regulatione usque ad annum 1802 infra numerum fixum depresso fuisset: constitutum est, ut nullum adhuc subsistens etiamsi occasione regulationis pro superfluo habitum claustrum porro tollatur, aut cum alio ejusdem ordinis uniatur; exceptis iis, a quibus nihil

---

*h*) 24 Oct. 1783. n. 11. — *i*) 12 Jan. 1782. — *k*) 8 Mart.  
et 16 Sep. 1782. — *l*) 13 Jun. 1786.

porro subsidii animarum cura in confessionibus et aegrotorum nosocomia sperare poterant, et in hoc quoque casu sublatio aut unio tantum cum altissimo consensu locum habeat. De restituendis vero abolitis coenobiis monasteriis tamdiu sermo nullus esse potest, donec modo subsistentibus claustris de sufficienti personarum numero provisum fuerit, aut hic vel ibi singulares rationes emergant, quae resuscitationem unius alteriusve monasterii utilem aut consultam reddant m).

§. 91.

*Jura Religiosorum sublatorum monasteriorum.*

Religiosi post sublata sua monasteria ad statum cleri secularis transgressi, prout etiam ex eadem ratione moniales abolitorum monasteriorum ad subsistens porro claustrum non transeunt id quidem, quod usque ad sublationem claustri earumque egressum reliquis secularibus ab intestato haeredibus reipsa obvenerat, repetere non possunt, quia possessor seu dominus rei in jure acquisito defendendus est; verum tamen a die ipsis notificatae claustri sui abolitionis jure gaudent per testamenta, per donationes, aliasque legales vias acquirendi, dominiumque rerum obtinendi a). Etiam ad legitimam (portionem) ipsis aequale cum reliquis prolibus jus competit, dummodo testator post sublatum monasterium sit defunctus; ad casus praeteritos, si nempe testator praemortuus est, haec lex non est trahenda b).

---

m) 2 Apr. 1802, II. 1.

a) 4 v. 20 Jun. 1776. 9 Nov. 1781. 30 Aug. 1782. — b) 14 v. 28 Dec. 1786.

Harum tamen acquisitionum tantum ususfructus, nequaquam autem alienatio aut alia libera dispositio inter vivos ipsis est concessa. Quare proinde curandum est, ut obtingentes ipsis summacae pecuniarum in fundis publicis collocentur, immobilia autem bona consveto legali modo tuta contra alienationem et obaerationem reddantur c). Tantum mobilia minoris valoris fors ipsis legata aut donata relinquuntur liberae ipsorum dispositioni d). Ast seu singuli in seculo, seu in electo congregationis loco simul vivant, libera iis potestas data est, de rebus et bonis durante sua vita inalienabilibus per ultimam voluntatem pro lubitu disponendi e); altamen legatum aut reicta haereditas sub poena nullitatis ad manus alienigenae, aut etiam indigenae extra ditiones Austriacas viventis subditi deferri nunquam potest f); nihil autem obstat, quominus soluto demigrationis vectigali ad subditum in Hungaricis, Croaticis, vel Transylvanicis ditionibus viventem pervenire possit g). Etiam Religiosis ex Hungarico studiorum vel religionis fundo pensionem habentibus, inque ditionum Germanicarum quacunque parte commorantibus, et ad nullum in Hungaria superstes sui ordinis monasterium pertinentibus, jure in Hungaria acquirendi et testandi gaudentibus, quoad sua mobilia et immobilia intra ditiones Germanicas sita bona testandi libera facultas est indulta; ita tamen, ut nulla legata extra limites ditionum Austriacarum efferantur h). Qua dispositione duae anteriores constitutiones vigorem amississe videntur, vi quarum exreligiosi e fundo re-

c) 4 v. 20 Jun. 1774. 30 Aug. 1782. — d) 4 v. 20 Jun. 1774. — e) 4 v. 20 Jun. 1774. 30 Aug. 1782, Cod. civ. §. 573. — f) 4 v. 20 Jun. 1774. 30 Aug. 1782. — g) 14 Sep. 1788. — h) 6 Febr. 1810. n. 1.

ligionis Hungarico pensione gaudentes testamenti condendi facultatem non habebant, sed illorum bona fundo religionis Hungarico obveniebant *i*), etiamsi in ditione Germanica obiissent *k*). Si vero Religiosi sublatis conventibus ad clerum transeuntes secularem, vel Moniales post abolitionem claustrorum in nullum aliud ingressae testamentum non relinquunt, aut si conditum id esset in favorem extraneorum: legitima successio locum obtinet, nullisque legitimis consangvineis exstantibus, aut vocatis ad successionem ab intestato consangvineis fors extra ditiones Austriacas commorantibus, haereditas ad fiscum devolvitur *l*). Quo ad exmoniales per legitimam successionem absque dubio generalis primo per patentales de d<sup>o</sup> 11<sup>ae</sup> Maii 1786 stabilita et dein in codice civili part. II. cap. 13. recepta, apud Religiosos autem specialis pro haereditate clericorum praescripta successio intelligenda est; nam in casibus intestatis omnium Sacerdotum exreligiosorum, prout et in casibus intestatis cleri secularis divisio haereditatis in tres aequales partes locum habet, quarum una ecclesiae, altera pauperibus, tertia consangvineis cedit, ita tamen, ut nonnunquam consangvineis duae tertiae attribuantur *m*), et tantum respectu hujus simplicis aut duplicitis ad consangvineos spectantis tertiae partis etiam pro haereditatibus Sacerdotum valet generalis successio legitima *n*). Quae hactenus de acquirendi ac testandi facultate Religionum ex sublatis claustris superstitem, item de legitima in ipsorum haereditatibus successione dicta sunt, ad egressos etiam ex abolitis claustris laicos votis obstrictos pensioneque provisos exten-

---

) 29 Jul. 1803. — *l*) 23 Febr. v. 18 Mart. 1806. — *i* 6 Nov. 1786. — *m*) 17 Sept. 1807. — *n*) 18 Jul. 1772.

duntur, sive illi sint ex Societate Jesu, sive ex aliis sublatis ordinibus o). In ditionibus Germanicis existentia mobilia aut immobilia bona ex religiosi ex Hungarico studiorum vel religionis fundo pensionem habentis, inque ditionibus Germanicis commorantis, et ad nullum in Hungaria adhuc subsistens monasterium sui ordinis pertinentis, si absque testamento decedat, sunt in tres partes dividenda, quarum una Hungarico fundo, ex quo pensionem defunctus habuit, altera consangvineis, et tertia pauperibus; aut si consangvinei ipsi veri nominis pauperes essent, itidem consangvineis obtingere debet p). Per id antiquiori constitutioni maxima ex parte derogatum est, juxta quam haereditas Sacerdotum et in specie ex jesuitarum ex Hungarico studiorum fundo pensione donatorum aut salarium habentium, si intestati decesserint, in tres partes dividebatur, quarum duae Hungarico studiorum fundo, tertia consangvineis defuncti usque decimum gradum, inque horum defectu fisco regio obveniebant q). Sacerdotes sublatorum claustrorum et ordinum imprimis ad novas in cura animarum stationes, aut ad cathecheticam informationem sunt applicandi. Illi, qui sine justa causa huic muneri se subtrahunt, et in otio sua pensione perfrui optant, mediante Ordinariatu ad id subeundum adstringi debent. Pro ratione circumstantiarum ipsis etiam comminatio suspenduae pensionis facienda est r).

---

o) 6 Nov. 1786. — p) 6 Febr. 1810. n. 2. — q) 10 Jun. 1801. — r) 10 Sept. 1785.

§. 92,

*Ordo equitum Teutonicus.*

Postquam de Religiosis generatim necessaria pertractata sunt, expedit quaedam adhuc speciatim de ordinibus equestribus et monialibus in medium proferre. Tres ordines religiosi equestres in ditionibus Austriacis sedem habent, hicque considerandi sunt: ordo Cruciferorum de rubea stella, ordo Teutonicus, et Melitensis seu Joanniticus. Primus constat Sacerdotibus, qui simul equites sunt; secundus partim ex equitibus, partim ex presbyteris; ultimus etiam ex fratribus servientibus. Membra emitunt vota religiosa, profitentur certam regulam, quin tamen, exceptis Cruciferis, vitam in communitate agant; atque apud nos in rebus ecclesiasticis post sublatas exemptiones Episcopo ordinario subjecti sunt. De ordine Cruciferorum in nostris legibus nullae speciales reperiuntur ordinationes. Quod ex ordinis Teutonici bonis quondam admodum amplis, ad quae undecim baliviae in Germania, et integrum Borussiae regnum pertinebant, vicissitudines praeteritorum seculorum intactum reliquere: id in tractatu pacis Posoniensis (26 Dec. 1805. art. XII.) pro Principe domus Caesareo-Austriacae per Imperatorem Austriae denominando, ejusque directis descendantibus masculis juxta ordinem primogeniturae in possessionem haereditariam conversum est. Ast mox sequenti pace Viennensi (14. Oct 1809 art. IV.) Imperator Austriae nomine Principis suae domus ad habenda haec bona destinati omnibus ordinis bonis extra territorium Austriacum sitis renuncavit. Itaque modo ordo Teutonicus solum ad territorium Austriacum restrictus est, omniaque residua adhuc ejusdem bona in emolumentum deno-

minati pro iis Principis Austriaci converti possunt. Interim Monarcha Austriacus ordinis equites et Presbyteros in possessione suarum commendarum et parochiarum, inque suo pristino sinit esse statu. Jura hunc statum efficientia per singularem inter Austriaca dicasteria, et ordinem Teutonicum vigentem jurisdictionis normam (5. Jul. 1766) determinata sunt; quae per plures subsecutas constitutiones \*) declarata fuit, sed verosimiliter solum usque mortem hujus aevi equitum et presbyterorum vigorem usumque retinebit. Tribunalibus ac instantiis quoad haereditates competentibus injunctum est, ne membra ordinis Teutonici in pristino successionis jure turbent; vicissim ex parte etiam ordinis juxta editam per ipsum declaracionem membris ejus facultas testandi non sine gravi causa denegetur *a*). A morte equitis Teutonici vectigal haereditarium juxta praescriptam pro secularibus bonis normam desumendum est *b*); in eo definiendo tamen ipsius commendae ab equite possessae nulla ratio habenda est, sed tantum de ceteris bonis ab eo relictis haeres vectigal haereditarium, decem florenos de centum florenis, solvere tenetur *c*). — Ex praedictis elucet in his rerum adjunctis non esse operae pretium jura ordinis Teutonici fusius explanare. In obvenientibus casibus notitia necessaria ex citatis constitutionibus atque ex sequenti de equitibus Melitensibus agente §º hauriri potest; nam hi non tantum relate ad jurisdictionem semper ordini Teutonio aequiparabantur *d*), sed eidem quoque in quamplurimis reliquis punctis habebantur pares *e*).

---

\*) 8 Nov. 1766. 12 Sept. 1768. 18 Mart. 1785. 3. v. 25 Febr. 1791.

11 Dec. 1795. 31 Mai 1799 — *a*) 4 Jul. v. 12 Aug. 1794 —

*b*) 20 Apr. 1813. — *c*) 1 Jul. 1813. — *d*) 11 Dec. 1795. —

*e*) 29 Jul. 1768 initio et §. 6.

§. 93.

*Ordo Melitensis.*

Melitensis quoque ordo novissimis temporibus gravia damna perpessus est. In omnibus Gallicanae potentiae succumbentibus ditionibus penitus sublatus est; ipsa insula Melita sedes ordinis tandem Anglis obtigit. In Austriacis ditionibus constat adhuc ex Bohemico magno prioratu, ad quem etiam Balliviae in inferiori et interiori Austria sitae pertinent. Statum hujus ordinis etiam specialis jurisdictionis norma determinat, quae tamen per subsequentes jam in ordine Teutonico citatas declaratorias constitutiones, notabiles subiit mutationes. Secundum eam eques Melitensis ante depositum fidelitatis juramentum in locis, ubi hoc juramentum usu introductum est, ad possessionem commendae admitti non potest. Quoad actiones civiles personales jurisdictione in prima instantia ipsi ordini Melitensi, sive unum membrum conveniatur ab alio sive ab extraneo, exclusive est permissa; ast in secunda instantia excepto casu, ubi gravamen unius membra contra aliud propriam ordinis rem respicit, ulterior provocatio ad superiorius cuiusvis provinciae tribunal fieri debet. In actionibus realibus, item si agitur de oneribus realibus fundo adhaerentibus, equites ordinis ac presbyteri in foro seculari, cui res vel fudus ex consuetudine provinciae subest, ius quaerere debent; appellatioque in omni casu ad tribunalia superiora caesarea ex ordine procedat, oportet a). Ast iuxta subsecutam aliam constitutionem Melitensis eques tantum in omnibus mere personalibus

---

a) Jurisdictionis norm. 29 Jul. 1768 §. 1. et 3.

causis tanquam persona ecclesiastica considerandus, atque a suis superioribus iudicandus est: in causis autem realibus, item ubi de bonis, contractibus, possessionibus, de pecunia aut debitibus agitur, subiacet foris generalibus *b*). Etiam in casibus haereditatis regulandae ordo Melitensis prout Teutonicus iurisdictionem *c*) in suos professos habet, atque in regulanda presbyteri Melitensis haereditate ea cuncta sunt observanda *d*), quae circa obsigillandas et regulandas haereditates per defuncta ordinis Teutonici membra relietas iuxta vulgatam 5a Julii 1766 altissimam resolutionem fieri debent *e*). In hac autem constitutum est, ut de regula ordini privativa regulatio haereditatum suorum eqvitum et presbyterorum competit, si defunctus nulla debita, nullam tutelam, nullasque obligationes in se suscepere; in his enim casibus regulatio haereditatis a competenti foro caesareo cumulative cum tribunalii ordinis, praecedente illo, peragenda est. Si vero bona cum onere fideicommissi vel substitutionis adsint, respectu horum regulatio haereditatis respectivis Austriacis competit foris. Omnes quoque actiones in haereditatem equitis vel presbyteri ordinis competentes sine discrimine, an privative an cumulative regulatio haereditatis fiat, semper ad forum seculare pertinent, ulteriorque provocatio ad superiora Austriaca tribunalia fieri debet *f*). Hinc non habita ratione concessae ordini partim privative partim cumulative cum competentibus foris caesareis regulationis haereditatum per equites, presbyteros, officiales et famulos ordinis re-

---

*b*) 15 Jun. v. 15 Jul. 1784 — *c*) 31 Mai 1799. — *d*) 11 Dec. 1795. — *e*) 3 Febr. 1791. — *f*) 5 Jul. 1766.  
n. 2. 5. 7.

lictarum, si ordo ex haereditate equitis vel presbyteri, cui facultatem testandi dedit, quidquam praetendat, quod haeredes aut legatarii negant; aut si inter relicita defuncti bona res alienae, ad quas alicui tertio ex deposito, commodato, aliove contractu jus competit, reperiantur; aut si creditores adsint jus ad relictas bonorum partes fundatum habentes, in hujusmodi casibus necessaria cognitio causae in prima et ulteriori instantia foris universalibus attributa est; in ipsum enim ordinem nullatenus transferri potest, quia is, cum dominium vi instituti ordinis praetendat, tanquam adversarius omnium ex haereditate quidquam praetendentium considerandus est, talique ratione judex in propria causa evaderet. De cetero ordinis juribus in integras haereditates suorum equitum et presbyterorum nihil est detrahendum; neque tribunalibus licet bona ad institutum ordinis pertinentia tributis, aliisque exactionibus onerare g). Jurisdictio autem ordinis ad habitantes in ordinis dominibus aut dominiis personas nequaquam extenditur; nam hae jurisdictioni, ad quam alias pertinent, subjectae manent h). In servitiis militaribus constituti ordinis equites respectu suarum haereditatum a jurisdictione militari non sunt exempti \*). Nulli equiti Melitensi tutela aut onus (munus) publicum, quod sponsionem quampiam requirit, committendum est, nisi integer ordo consentiat, atque pro eo sufficientem cautionem praestet i). Ordinis equites aut presbyteri, sicut ceteri subditi exemptionem ullam a tributis generalibus sibi arrogare non possunt. Etiam a tributo decimali seu Turcico, quod modo fortificatorum dicitur, ordo

---

g) 12 Sept. 1768. 18 Mart. 1785 — h) 29 Jul. 1768 n. 2. —

\*i) 16 Apr. 1802 — i) 29 Jul. 1768 v. 3.

immunis non est. Vectigal haereditarium ordini Melitensi gravius non imponatur, ac Teutonico *k*); quod proinde post mortem equitis non ratione commendae, qua fruebatur, sed ratione habita reliquae substantiae, quam possidebat, determinari debet *l*). Generatim de ordine Melitensi omne id valet, quod respectu Teutonici per constitutiones de die 5a Julii et 8va Novembbris 1766 pro singulis casibus resolutum est *m*). Quare relicta equitis et presbyteri Melitensis bona, prout et haereditas Teutonici, a vectigali demigrationis libera sunt; attamen ex haereditate mortuorum in servitio militari ordinis membrorum consueti quinque floreni de centum pro instituto Invalidorum decerpendi sunt. Bona vero extra ditiones Austriacas exportanda officialium et servorum semper, et res equitum ac presbyterorum tunc, si obtenta licentia in favorem extraneorum, non ipsius ordinis testantur, tributo demigrationis subjacent *n*). Si ordo novam parochiam aut beneficium erigit, ei suos presbyteros praeficere potest *o*); ast ad nullam parochiam tam Teutonici quam Melitensis ordinis, quae hactenus per seculares Sacerdotes curabatur, futuro tempore ordinis presbyter exponentendus est *p*). De cetero in ordinis parochiis sine discrimine, an per ordinis vel alios sacerdotes regantur, edita pro quavis provincia generalia edicta et quaecunque mandata jure superioritatis territorialis promanantia accuratissime observanda sunt *q*). Commendatores Teutonici et Melitensis ordinis possunt etiam interesse congregationibus provinciarum diaetalibus; si vero praeerogativa

*k*) ibid. n. 6. — *l*) 1 Jul. 1813. — *m*) 29 Jul. 1768 n. 6. —

*n*) Ibid. n. 5. — *o*) Ibid. n. 4. — *p*) 17 Mai 1766 —

*q*) 29 Jul. 1768 n. 4.

sessionis et voti in his gaudere velint, solito introducendi sunt modo r). Reliqua quae collationem parochiarum tam Teutonici quam Melitensis ordinis, item solvendum per utrumque tributum vectigali haereditario aequivalens, ac regulationem haereditatum ordinis membrorum respiciunt, loco convenienti pertractabuntur.

§. 94.

*Moniales.*

De Monialibus speciatim sunt sequentes ecclesiasticae et patriae ordinationes notandae. Claustra Monialium tantum in civitatibus aut populosis oppidis sunt erigenda, inque iisdem severa clausura introducenda. Moniales nonnisi in casu necessitatis, aut ad brevissimum tempus, atque ex legitima ab Episcopo approbanda causa monasterio exire possunt. Neque aliquis sine singulari Episcopi licentia claustrum ingrediatur a). Anunciandi verbi divini, et Sacramentorum dispensandorum causa Moniales confessores assumunt, qui tamen speciali indigent approbatione Episcopi. Aliquoties per annum ab Episcopo ipsis extraordinarii confessores mittantur oportet b). Sublati exemptionibus claustra Monialium Episcopo dioecesano subsunt, qui pro singulis commissarium seu Visitatorem constitueret solet. Candidatae ante susceptionem habitus regularis et novitiae ante professionem, cuius tempus praefecta monasterii Episcopo sub poena suspensionis praevie significare tenetur, ab hoc vel ejus commissario exami-

---

r) 21 Febr. 1788.

a) Conc. Trid. S. 25. cap. 5. de regular. cap. unic. de statu regular. in 6° — b) Conc. Trid. l. c. cap. 10.

nantur, an vocationem ad hunc statum habeant, an libere hoc consilium capiant, et requisitis qualitatibus gaudeant c). Omnes pensione provisae officialium publicorum viduae quodpiam publicae educationi operam navans Monialium claustrum ingredientes non habita ratione, quod ipsis de sustentatione sit prospectum, in continua suae pensionis possessione relinqu possunt d). Monialibus praesunt partim perpetuae, partim mutabiles Superiores. Nulla Superior pluribus praeesse claustris potest, ac in Superiore nequit eligi Monialis, quae nondum 40 annorum est, nec post professionem in claustro laudabiliter octo jam annis vixit. Si non inveniatur talis in eodem claustro, ex alio ejusdem ordinis assumatur; aut si hoc commode fieri nequit, quaedam ex eodem claustro non minor 30 annis aetate, et jam quinque ante annos professa cum consensu Episcopi eligatur. Vota singularum electricum Episcopus, quin clausuram ingrediatur, ante crates fenestrae colligat e). Electio est perfecta, si electa duas votorum tertias nacta est; si adsit pluralitas tantum votorum, ceteris liberum est accedere ad compleendas duas tertias. Si complementum duarum tertiarum per accessum non potest obtineri, etiam peracta per pluralitatem votorum electio confirmari potest, in quantum contra eam nullae notabiles exceptiones, quas Episcopus semper ante confirmationem ex officio audire debet, opponantur. Si tantum media pars, aut adhuc minor votorum numerus alicui personae faveat, nec accessio locum habet f). In nostris ditionibus ad electiones Abbatissarum quoque, aliarumque ad vitae

---

c) Ibid. cap. 17. — d) 10 Dec. 1813. — e) Conc. Trid. I.  
cit. cap. 7. — f) Cap. 43 de elect. in 6°.


tempus constituendarum in coenobiis et claustris Superiorum poscere et mittere commissarios Principis consuetum est, qui praemissa apud vicariam Superiorem insinuatione, concurrentes ad electionem Moniales in parlatorium congregant, iis suam commissionem notificant, easque admonent, ut in electione ad talem personam respiciant, quae indigena, aptaque sit coenobio vel claustro in spiritualibus ac temporalibus praeesse. De cetero neque commissarii, neque ipsorum comites coenobio aut claustro graves accidunt per expensas aut gravamina alia, sed injunctum negotium ex officio peragant, inque eo, prout in coenobiis masculis, maximam attentionem ad conservanda Imperantis regalia et patronatus jura, ad administrationem quoque bonorum ac Temporalium monasterii convertant, de peracto negotio Imperanti relationem exhibeant; et si in ea nihil, quod factae electioni adversum esset, significandum sit, coenobio claustrove praecipient, ut electam pro confirmatione Imperanti more solito praesentent g). In Galicia praescriptum pro electione Praelatorum generaliter ceremoniale, in quantum pro diversitate adjunctorum fieri potest, etiam ad electiones Superiorum perpetuarum in claustris virginum applicandum est; speciatim ad quamlibet ejusmodi electionem suscipiendam praevie altissimus consensus, adjiciendo legaliter praescriptam consignationem et probationem bonorum claustri petendus, peractae electionis altissima confirmatio quaerenda, et respectu praesentiae regiorum commissariorum praescripta norma ita observanda est, ut praedictis electionibus non duo, sed unus regius Commissarius interveniat, qui eveniente Leopoli

electione, ecclesiastica negotia referens gubernialis consiliarius, extra Leopolim autem capitaneus circuli esse debet *h*). Respectu taxae confirmatoriae ob electionem perpetuarum Superiorum dependendae claustra Galicia ita, prout reliquarum ditionum Austriacarum monasteria Monialium perdetuas Superiores habentia, attamen cum hac restrictione sunt tractanda, ut ea, quibus juxta probatam bonorum consignationem ad sustentandam quamvis Monialem non plures annuatim, quam 200 floreni suppetunt, pro electione suae Superioris tantum taxam confirmatoriam 100 florenorum solvere teneantur *i*). Cuilibet religioso faeminarum Instituto ad curandas res temporales vir notorie probus, doctus et bonos mores praeseferens, nequaquam inops, tanquam curator adjungendus est *k*). Exmoniales acquirendi et de suis facultatibus per ultimam voluntatem disponendi capaces, prout vel nobiles sunt vel ignobiles, tam quoad actus inter vivos quam mortis causa competenti subsunt foro civili, in quo etiam ipsarum haereditates regulandae sunt *l*). Exmoniales augmentum suarum pensionum petentes semper, an choro deputatae, an vero laicæ sorores fuerint, adnotare debent *m*).

---

*h)* 23 Jun. 1806. — *i)* 6 Mai 1807 — *k)* 17 Aug. 1815 —  
*l)* 11 Nov. 1782 — *m)* 20 Nov. 1805.

---



B.

De erectione et innovatione

B e n e f i c i o r u m

n e c n o n

de civili et militari animarum cura

in ditionibus Austriaeis.

三

### **INTRODUCTION**

**M**axima pars harum pagellarum jam ante duodecim annos conscripta fuit. Nunc demum nactus sum tempus addendi id, quod adhuc in ultima sectione deerat. Interim D. Francisci Hübler militaris oeconomiae systema in lucem prodidit, quod tomo nono multas, mihi antea ignotas militarem animarum curam respicientes, Consilii aulico - bellici complectitur constitutiones. Ista ferme omnes opusculo illatae sunt; atque sic accidit, ut per remorationem sectio tertia de militari animarum cura plenior evaserit. Quamquam parvi momenti opusculum hoc in se sit, constituitamen id, cum finitum jam esset, typis tradere, quia tanquam continuatio ejus operis considerandum est, quod nomine juris personarum ecclesiasticarum pridem vulgatum est. An ulteriores continuationes, ad alias in Austria vigentis juris ecclesiastici materias, spectantes sint secutuae, tempus et

adjuncta decidere debent. Spe omnia collecta  
materialia primo in singulis dissertationibus elab-  
orandi, et dein ex iis Institutiones juris ecclesiastici  
Austriaci elucubrandi ferme penitus excidi, conten-  
tus futurus, si id, quod hactenus praestiti et fors  
adhuc praestabo, alteri otium habituro aliquid  
subsidiī adtulerit ad idem propositum adim-  
plendum.

Vindobonae 1822.

Author.

M

et sicut dicitur in Propterea secunda trago-  
dias et fabulae, ut Iphigenia aethiopum ambi-  
tum acceperit de grecis a chimerone cestulum vel  
exortacione illius aethiopum non sicut hominibus  
fuerit, sed in corporis extremitate, in manu, metatilim  
pedali, excoitulit enim cestulum quod pellit. eelus-  
eo nisi cypa, tunc cestus oblongo viximo cestus  
alio ab aliis cestis cestulamque app. in cibis  
nisi pectus. Quare etiamq; cestus cestulam  
intulit. Ita ne si sicut ambiguo hinc non tunc  
cestulus pectus, cestusque cestulam quo ab homini  
et in corporis extremitate, cestulum quo in corporis  
extremitate, tuncq; cestusque cestulam non  
est hoc cestulus nisi sive cestus, sive cestus  
alio cestus est, cestusque cestulam, ut cestus, cestulam  
est cestus, cestulusque cestulam, ut cestus,

## Sectio I.

De erectione et innovatione beneficiorum.

### §. 1.

*Notio ecclesiastici officii et beneficii.*

**S**tatus clericorum, vi cuius certas functiones sacras vel negotia ecclesiastica peragere tenetur, officium appellatur ecclesiasticum. Qui ecclesiastico officio fungitur, jure a coetu fidelium honestam vitae suae sustentationem exigit, atque recipit, quia in commodum eorum omnem suam operam atque industriam muneri suo consecrare debet, consequenter aliis modis sibi de sustentatione vitae prospicere impeditur. Hoc jure ministros ecclesiae ipse Christus *a)* instruxit dicendo: *Dignus enim est operarius cibo suo*, quod Apostolus Paulus his confirmat *b)* verbis: *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant?* Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Si officium ecclesiasticum sit

---

*a)* Matth. X. 10. — *b)* I. Corinth. IX. 13. 14.

irrevocabile, i. e. si applicatio ad id ita durabilis sit, ut applicatus sine causa canonica ab eo removeri nequeat, sed jus, quoad vixerit, ad sustentationem ob suum officium obtineat; si porro ad hanc sustentationem certi proventus in tempus perpetuum destinati i. e. fundati sint; si denique tam erectio officii ecclesiastici, quam fundatio proventuum auctoritate ordinariae potestatis ecclesiasticae facta sit, appellatur beneficium ecclesiasticum, praebenda. Non omne officium ecclesiasticum igitur simul est beneficium; ast omne beneficium semper supponit officium ecclesiasticum, quia beneficium datur propter officium c). Istud ad ministerium sacrum refertur, illud ad durantem vita comite sustentationem, ad quam respectu sui officii ecclesiastici cuiquam jus competit. Hinc beneficium explicari ita potest, quod sit officium ecclesiasticum cum jure percipiendae ex proprie ad id fundatis proventibus vita comite sustentationis conjunctum, atque interveniente ordinaria ecclesiastica auctoritate constitutum.

## §. 2.

*Essentialia beneficii requisita.*

Ad notionem beneficii ecclesiastici sequentia pertinent essentialia requisita: 1º officium sacram. Hinc laici, qui nullo sacro munere fungi possunt, neque beneficii ecclesiastici possidendi sunt capaces. Quare etiam officium profanum e. g. organoedi, licet in utilitatem ecclesiae explendum, perpetuum, et cum jure fruendi proventibus ecclesiasticis connexum sit, beneficium appellari nequit.

---

c) Cap. fin. de rescript. in 6º.

2º Coniunctum cum jure sustentationis vita comite durantis. Igitur sic dicta beneficia manualia, quae pro lubitu collatoris semper revocari possunt; ordinariae capellaniae, quas nulla permanens applicatio comitatur, etiamsi in quibusdam capellano precarie concessis missis fundatis consistant; vicariatus temporales, administrationes vacantium parochiarum, generales Vicariatus in nostris episcopatibus etc. non sunt veri nominis beneficia. Contra illis nostrae locales capellaniae, perpetui parochiarum vicariatus, chorales vicariatus, et fundatae capellaniae, super quibus ad factam a patrono praeresentationem formalis investitura tribuitur, aut saltim decretum editur, omnino accenseri debent a).

3º Fundati proventus, ex quibus permanenter applicatus sacerdos vitae totius tempore sustentationem capiat. Id ex communi loquendi modo intelligitur; nam etiamsi aliquis constanter in officio ecclesiastico constitutus esset; attamen si ei pro sua sustentatione fortuiti solum provenitus e. g. currentia missarum stipendia et jura stola assignata forent, non posset dici beneficium quodpiam possidere.

4º Erectio beneficii auctoritate ordinariae ecclesiasticae potestatis facta, quae officium sacrum, cui fundati provenitus pro sustentatione applicati ad id sacerdotis adhaerere debeant, constituit, et fundationem hujus sustentationis acceperat. Hinc nullum esset beneficium, si quis potens dynasta assumpto capellano, qui festis et dominicis diebus in cappella castri missam legat, duraturam totius vitae tempore sustentationem per illatum ad publicos

hypothecarum libros contractum sine interventione ecclesiasticae potestatis promitteret,

§. 3.

*Origo beneficiorum.*

Primis tribus ecclesiae christianaee seculis ministri sacri suam sustentationem potissimum ex voluntariis fidelium oblationibus capiebant. Cum vero seculo quarto Constantinus Magnus christianam religionem amplexus fuisset, atque ecclesia christiana tanquam licita in civitate societas considerari coepisset; obtinuit ea etiam proprias possessiones, quarum administratio episcopis commissa fuit, qui proventus earum ad alendos clericos atque ad alias ecclesiae necessitates pro arbitrio impendebant. Seculo quinto in Latina ecclesia ferme ubique invaluit mos, istos proventus in quatuor, attamen non semper aequales partes pro episcopo, pro reliquo clero, pro fabrica ecclesiae, atque pauperibus dividendi. Sed quum et episcopis administratio remotiorum ecclesiae honorum gravis esset, et clero procul a sede episcopali ruri constituto molestum accideret, suas portiones ex urbe ab episcopo arcessere; sensim inde a seculo sexto episcopi sacerdotibus ruralibus usum-fructum honorum ecclesiasticorum in cujusque presbyteri districtu sitorum pro sustentatione saepius assignare solebant; sed ab initio modo tantum precario, ita nempe, ut concessum usum-fructum pro lubitu semper revocare potuerint. Tandem sensim haec bona modo stabili cum ruralium clericorum officiis connexa sunt ita, ut quis parochiae ruralis rector proventus, aut omnium aut certorum in peripheria suae parochiae sitorum ecclesiasticorum honorum in suam sustentationem percipere posset, neque amplius in episcopi po-

testate positum esset, ei usumfructum eorum sine canonica causa denegare. Atque sic exorta sunt beneficia parochialia. Nomen hoc primo in Francofurtensi concilio de anno 794 occurrit, estque a bonis feudalibus desumptum; quare etiam doctrina juris canonici de beneficiis cum doctrina juris feudalis magnam habet analogiam. Prout nempe ususfructus immobilium bonorum et utilium jurium, quae vasallo sub obligatione servitiorum militarium concedebantur, initio beneficium militare dicebatur: ita etiam ususfructus bonorum ecclesiasticorum clero officium ecclesiae obituro pro sua sustentatione concessorum beneficium ecclesiasticum appellabatur. Successu temporis tamen beneficia militaria evaserunt haereditaria, atque ususfructus, in quo ea initio consistebant, transiit sensim in dominium utile, a quo tempore feuda nominari coeperunt; beneficia vero ecclesiastica, in quibus successio haereditaria locum habere non potuit, manserunt semper ususfructui similiora, quam dominio utili, atque antiquum beneficiorum nomen retinuerunt. Numerus eorum successive per fundationes plurimum auctus est, cum novae parochiae, vel alia ecclesiastica officia instituta, atque a piis christianis pro sustentatione constitutorum in iis sacerdotum specialia bona, vel alia fructifera jura in tempus perpetuum dicata fuerunt.

#### §. 4.

#### *Divisio beneficiorum.*

Beneficia dividuntur 1º in simplicia et curata, prout nempe obligatio ad curam animarum cum iis connexa est, aut non. Nostrae leges non tolerant tales beneficiatos, qui nec animarum curae vacant, nec Ordinariis suo consilio subveniunt. Quare omnia fundata beneficia sim-

plicia, quamprimum vacaverunt, in curata beneficia transformari *a*), et etiam cum omnibus beneficiis Canonicorum in ecclesiis collegiatis, item praebendariorum et praesentiariorum ordinaria animarum cura conjungi debuit ita, ut vel in propria curata beneficia immutarentur, vel in dotationem novarum parochiarum impenderentur *b*). Tantum canonicatus in ecclesiis cathedralibus idem fatum non subiverunt, sed permanserunt beneficia simplicia, quia Canonici Ordinariis suo consilio in Consistoriis inserviunt. Neque illa transformatione ita intelligenda est, quasi quodvis beneficium simplex in parochiam aut localem capellaniam mutatum, vel pro dotatione talis novae curatiae impensum fuisset. In locis, ubi jam parochia exstitit, fundati beneficiati, qui prius curam animarum exercere non tenebantur, saepius retenti sunt, sed cum injuncta obligatione, in futurum parrocho in cura animarum subsidiariam navandi operam. Ejusmodi fundati cooperatores, cum nullo proprii nominis officio ecclesiastico fungantur, nunc adhuc frequenter sub nomine simplicium beneficiatorum, et eorum beneficia sub nomine simplicium beneficiorum in nostris occurrunt legibus *c*).

2º In beneficia *m a j o r a*, quibuscum ecclesiastica jurisdictio pro foro externo conjuncta est, uti episcopatus, praelatura etc. et beneficia *m i n o r a*, quibuscum nulla talis externa jurisdictio connexa est, uti parochiae, meri canonicatus, qui tamen juxta nostras leges respectu collationis majoribus beneficiis aequiparantur, et iisdem sub hoc respectu annumerantur.

---

*a)* 24 Oct. 1783. n. 5. — *b)* 9 Febr. 1784. — *c)* e. g. Vdg. 18 Aug. 1808. Erbsteuerpatent 15 Oct. 1810. §. 57. b.

3º Beneficia electiva, in quibus electio canonica per capitulum instituenda obtinet, collativa, quae episcopus pro arbitrio confert, et patronata, ad quae patronis jus praesentandi competit.

4º Beneficia secularia, pro secularibus, et regularia pro religiosis sacerdotibus destinata. De his valet regula: Secularia beneficia secularibus, regularia regularibus conferantur *d)*, quae etiam in Austriacis provinciis pristino vigori restituta est ex eo tempore, a quo regulares ad nulla amplius secularia beneficia promoveri possunt *\*)*. Secundum commune jus ecclesiasticum, per modum exceptionis ab hac regula, regulares in Episcopos eligi *e)*, et regularibus Canonicis, si non ex alio ordine ad hunc translati fuerunt, secularia curata beneficia conferri possunt *f)*. Utraque exceptio etiam apud nos, si ex praxi judicium feratur, videtur adhuc vigere. Insuper alia adhuc apud nos exceptio apparenter locum habet. Illae nempe parochiae, quae penes ecclesias monasteriorum sumptibus fundi religionis subsistunt, et quibus hucusque seculares presbyteri praefecti erant, in casu, quo vacaverint, idoneo ad id conventus presbytero conferendae sunt. Sed talis conventionalis parochus proprie beneficium parochiae i. e. proventus prioris secularis parochi non obtinet, sed solum ejus officium cum annua 150 florenorum ex fundo religionis remuneratione *g)*. In dubio praesumtio stat pro secularibus beneficiis, donec contrarium probetur; nam

---

*d)* Cap. 5 et 32. de praeb. in 6º. Clement. un. de suppl. neglig. praelat. — *\*)* 20 Jan. 2 Apr. 1802. II. 20. —

*e)* Cap. 24. de elect. in 6º. clem. 1. eod. Conc. Trid S. 22. Cap. 2. de reform. — *f)* Cap. 5. de statu monach.

Conc. Trid. S. 14. Cap. 11. de reform. — *g)* 31 Dec. 1802.

sacerdotes seculares sunt a Christo ad obeunda ecclesiae officia instituti, quibuscum beneficia conjuncta sunt; non vero regulares, qui serius exorti sunt, et per longius tempus nequidem presbyteri fuerunt. Ad probandum in casu necessitatis, beneficium quodpiam esse regulare, demonstrari debet: illud vel sua natura e. g. abbatiam, solum regularibus competere, vel illud expresse in emolumentum regularium esse fundatum; vel per incorporationem regulari coenobio vel clauistro obtigisse, vel denique ab aliqua religiosa domo contra seculares praescriptione obtentum esse, ad quam tamen juxta commune jus quadraginta annorum possessio bonae fidei, et justo titulo munita requiritur *h*); juxta Austriacum vero jus sola bonae fidei possessio quadraginta annorum *i*) sine justo titulo sufficit *k*), ast insuper probari debet, quod occasio hoc beneficium regulari sacerdoti conferendi intra hoc tempus ter emerserit, et beneficium semper reipsa regulari collatum sit *l*). Pro Bohemia et Moravia datur specialis constitutio determinans, quae curata beneficia pro regularibus haberi debeant, et in qua expresse regula juris communis confirmata est: in dubio prae sumptionem stare pro secularibus beneficiis, et regularem eorumdem qualitatem semper probandam esse \*).

---

*h*) Cap. 1. de praescript. in 6°. — *i*) Cod. civ. univ. §. 1472. — *k*) Ibid. §. 1477. — *l*) Ibid. §. 1471. — \*) 28 Febr. 1756. pro Morav. 14 Dec. 1764. pro Boh.

## §. 5.

*Obligationes beneficiatorum.*

Obligationes eorum, qui aliquod beneficium adepti sunt, generatim in his consistunt:

1º Ad summum intra duos ab adita beneficii possessione menses publicam fidei professionem edere tenentur, secus fructus beneficii porro lucrari non possunt. Cum hac fidei professione simul jurata canonicae erga Pontificem obedientiae promissio conjuncta est a).

2º Sacrum cum beneficio connexum ministerium ad amussim implere tenentur, quia illo solum propter praestationem hujus fruuntur (§. 1.). Huic obligationi, cum sit personalis, et in conferendo beneficio qualitas personae respiciatur, per vicarios, excepto inevitabilis impedimenti casu, satisfacere non possunt.

3º Hinc ad residentiam i. e. ad assiduam in loco sui beneficii commorationem, ut conjunctum cum eo ministerium adimpleant, stricte et, ut praecipue concilium Tridentinum relate ad curata beneficia satis clare docet, jure divino obligantur. Tantum collisio cum sublimoribus officiis charitatis christiana, debitae obedientiae, atque curandi boni ecclesiae, vel reipublicae, uti etiam necessitas summa illos a residentia excusare potest. Et in his quoque casibus, excepto ultimo, si absentia longiori tempore duratura est, exposita causa a competente Superiore licentia impetranda est; secus ammissio partis proventuum, vel continuata animi obstinatione etiam gravior poena imminet b).

a) Conc. Trid. S. 24. cap. 12. de reform. b) Conc. Trid. S. 23. cap. 1. S. 6, cap. 1. S. 24. cap. 12. de reform.

§. 6.

*Interdicta beneficiorum pluralitas.*

Ex fine beneficiorum, et expositis beneficiorum obligationibus sponte sua sequitur: sacerdotibus simultaneam plurium beneficiorum possessionem vetitam esse, si ea 1<sup>o</sup> vel in diversis locis sita sint ita, ut praescripta residentia observari non possit e. g. in duobus canonicatibus diversarum cathedralium ecclesiarum, quia quilibet canonicatus novem mensium residentiam exposcit, vel 2<sup>o</sup> si in eodem quidem loco sint, ast quodlibet eodem tempore singulare ministerium requirat e. g. duo curata beneficia in eodem loco, vel 3<sup>o</sup> si ea licet nec residentia, nec simultaneum ministerium obstaculo sit, jam singula sufficientem suppeditent sustentationem e. g. duo canonicatus in eadem ecclesia *a*). Hinc nova beneficiorum divisione in compatibilia et incompatibilia exoritur, quorum illa ab eadem persona simul possideri possunt, non item haec. In primis duobus casibus sua natura, in tertio tantum ex dispositione legis sunt incompatibilia. Juxta commune ius eccl. quaedam incompatibilia beneficia ita sibi invicem repugnant, ut quamprimum alterum obtinetur, alterum eo ipso vacare censeatur; in aliis possessor electionem habet, an prius vel posteriorius acquisitum retinere velit, etsi is intra certum tempus suam voluntatem non declareret, desuper Superior decidit. Illa nominantur beneficia incompatibilia primi, haec secundi generis:

*a)* Cone. Trigl. S. 24. cap. 17. S. 7. cap. 4. de reform. cap. 28. de praeb. cap. 1. de consvet. in 6<sup>o</sup>. clement. 3. de praeb. Extravag. 4. inter commun. eod.

Secundam nostras leges nulli sacerdoti sine discrimine dignitatis duo, cum cura animarum conjuncta, beneficia tenere licet est, etiamsi is alterutrum per vicarium administrare vellet b). Qui cunque duo curata beneficia possedit, debuit intra quinque hebdomadas declarare, cui renunciare, et quod retinere velit c). Si intra determinatum tempus animum suum non manifestaverit, amisit ultimo obtentum, et si plura quam duo possederit, omnia post primum obtenta d). Pariter nemo cum curato beneficio simul simplex, quod residentiam exposcit, eumque impedit, quominus officium cum altero conjunctum in persona atque constanter obire possit, conjungere potest e. g. canonicatum in uno, et parochiam in alio loco tenere. Tandem etiam curatum beneficium incompatible est cum officio ecclesiastico e. g. Secretarii consistorialis, vel rectoris Seminarii. E contra vero plura simplicia beneficia, curatum beneficium cum simplici, quod residentiam non requirit, et simplex beneficium cum ecclesiastico officio simul possideri possunt e).

§. 7.

*Erectio beneficiorum.*

Erectio beneficii fit partim per fundationem, qua quis pro perpetua clerici sustentatione in quam ecclesia officium sacrum obituri certos annuos proventus sufficienter assecuratos assignat; partim vero per acceptationem Ecclesiae, et Impe-

b) 10 Febr. 1785. — c) 24 Mai. 14 Nov. 1785. n. 1. —

d) 13 Jul. 14 Nov. 1785. n. 4. — e) 14 Nov. 1785. n. 2.  
3. et 5.

rantis civilis confirmationem. Ad eam itaque requiritur

1º Determinatio sacri ministerii in aliqua ecclesia obeundi.

2º Assignatio sustentationis pro clero ministerium hoc praestituro sufficienter assecuratae *a*).

3º Praeauatio, ne per erectionem beneficii iura tertii laedantur *b*).

4º Ratihabitio Ecclesiae et civitatis seu reipublicae, ut in omni fundatione *c*). In hac concedenda praeceps attendendum, an officium sacrum, quod fundator intendit, reipsa bono ecclesiae, praescripto generali circa cultum externum et animarum curam ordini consentaneum; an assignata sustentatio sufficiens, et satis assecurata sit; et utrum illi, quorum interest, quive eapropter praevie audiendi sunt, nullam justam exceptionem contra beneficii erectionem obmovere possint.

### §. 8.

*Innovatio beneficiorum. Diversi ejus modi.*

Confirmatae a legitima auctoritate fundationes sancte servandae sunt, quia species sunt solemniter initorum contractuum vel acceptatorum legatorum, quae sub modo relicita fuere. Quare generatim illicita est erectorum innovatio beneficiorum *a*). Hinc illa nota regula: beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur. Non nisi gravibus ex causis, auctoritate publica, auditisque

*a)* cap. 8. de consecr. eccles. can. 9. dist. I. de consecr. —  
*b)* can. 44. caus. 16. q. 1. cap. 3. de eccl. aedific. cap. 36. de praeb. — *c)* 24 Mai 1784.

*a)* Conc. Trid. S. 25. cap. 5. de reform. cap. unic. ut eccl. benef. sine dim. conf. cap. 8. de praeb.

iis, quorum id interest, talis immutatio fieri potest b). Modi praecipui, quibus beneficia immovantur, sunt: 1<sup>o</sup> Unio, 2<sup>o</sup> incorporatio, 3<sup>o</sup> divisio, 4<sup>o</sup> oneratio, 5<sup>o</sup> dismembratio, 6<sup>o</sup> retentio, 7<sup>o</sup> suppressio, extinctio seu reductio beneficiorum.

§. 9.

*Unio beneficiorum.*

Unio beneficiorum est conjunctio duorum aut plurium beneficiorum sub uno rectore. Ea est temporaria, et personalis, si in favorem alicujus personae, quamdiu vivet, vel perpetua et realis, si pro bono ecclesiae in omne aevum ac ita fiat, ut unita beneficia saltem intuitu rectoris semper deinceps instar unius beneficii considerentur. Perpetua seu realis unio tribus modis fieri potest, 1<sup>o</sup> per aequalitatem, aequa principaliiter, si status unitarum ecclesiarum et beneficiorum integer maneat, ea tamen semper uni eidemque sacerdoti retentis antiquis nominibus confrantur.

2<sup>o</sup> per subjectionem vel accessionem, si quaedam ecclesia tanquam filialis alteri tanquam matri subjiciatur, atque una cum adhaerente beneficio rectori matris, sine speciali mentione tanquam suapte subintellectum accessorium, curanda committatur.

3<sup>o</sup> per suppressionem seu confusionem, si unita beneficia quasi tollantur, atque in novum beneficium, jura unitorum, quantum possibile,

---

b) cap. 10. 26. et 33<sup>o</sup> de praeb. Conc. Trid. S. 24. cap. 15.  
de reform.

omnia in se complectens, transformatentur. Modus realis unionis in instrumento desuper erecto determinari debet, ex quo, quid juris quovis in casu sit, dijudicandum est. In dubio potius primus, quam secundus, vel plane tertius modus praesumitur, quia ille ab exosa canonibus ecclesiast. innovatione multo remotior est, quam isti.

§. 10.

*Requisita unionis.*

Unio personalis, cum reipsa sit praetextus vetitam beneficiorum pluralitatem tegendi, semper est prohibita *a*). Sed etiam unio realis, quia plerumque imminutionem cultus divini externi post se trahit, tantum in singularibus adjunctis subsequentibus conditionibus locum habet: 1<sup>o</sup> gravis adesse debet causa e. g. paupertas alterutrius ecclesiae, exigui proventus alicujus beneficii *b*), vicinitas locorum *c*), defectus sacerdotum etc.

2<sup>o</sup> Praescriptae solemnitates observandae sunt. Hae consistunt in consensu capituli *d*), in diligenti causae investigatione, et in audiendis iis, quorum interest *e*). Huc spectant rectores *f*), patroni *g*), et advocati ecclesiarum uniendarum.

3<sup>o</sup> Unio interveniente Ordinarii auctoritate et consensu Imperantis fieri debet *h*). Ceterum beneficia in diversis dioecesibus sita *i*), vel hetero-

---

*a)* Conc. Trid. S. 7. cap. 4. S. 24. cap. 17 de reform. —  
*b)*\* cap. 33. de praebend. Conc. Trid. S. 7. cap. 6. S. 21. cap. 5. S. 24. cap. 13. de ref. — *c)* 25 Oct. 1792 I. 5. —  
*d)* cap. 8. et 9. de his, quae fiunt a Praelatis. Conc. Trid. S. 24. cap. 15. de ref. — *e)* Conc. Trid. S. 7. cap. 6. S. 24. cap. 13. de ref. — *f)* Conc. Trid. S. 21. cap. 5. de ref. — *g)* Conc. Trid. S. 24. cap. 51. cap. 20. de jure patronat. — *h)* 2 Apr. 1802. II. 13. 14. Mart. 1806. —  
*i)* Conc. Trid. S. 14. cap. 9. de ref.

genea e. g. curata cum simplicibus *k*), regularia cum secularibus *l*), collativa cum patronatis beneficiis ne facile uniantur *m*).

§. 11.

*Incorporatio beneficiorum.*

Ad unionem beneficiorum quodammodo pertinere videtur etiam incorporatio, quae proprie tunc adest, si non beneficio, sed corpori cuiusdam e. g. capitulo, coenobio, monasterio, aut Academiae, Universitati etc. beneficium quoddam ad meliorem ejusdem subsistentiam in perpetuum adjiciatur. Sollet tamen etiam incorporatio dici, si beneficium ad dotandam ecclesiasticam dignitatem e. g. episcopatum, praeposituram etc. impendatur, modo in tali casu personae dignitarii ipsum officium sacrum, quod intuitu talis beneficii obeundum est, non imponatur, quia tunc foret unio beneficiorum. Neque vera incorporatio est, si cuiusdam collegio, aut dignitati jus patronatus duntaxat in aliquo beneficio competit; collegium autem, vel dignitarius nulla alia jura in illud habeat, quam quae omnibus patronis compeunt, quia in incorporatione praecipue id spectatur, ut corpori vel dignitati, in cuius favorem incorporatio fit, preventus incorporati beneficii cedant. Cum itaque incorporatio quoad jus patronatus tantum juxta communem loquendi usum adseri nequeat: solummodo duae sunt incorporationis species apud nos usitatae 1º incorporatio quoad temporalia tantum. In casu talis incorporationis corpus

---

*k*) Id S. 24. cap. 13 de ref. — *l*) Id. cap. 15 de ref. —

*m*) Id. S. 25. cap. 9. de ref.

aut dignitas proventus incorporati beneficii percepit, atque jus patronatus exercet. At certam reddituum portionem ad congruam perpetui vicarii sustentationem suppeditet, oportet, qui ad ejus praesentationem in beneficio incorporato constituantur.

2º Incorporatio quoad temporalia et spiritualia simul, sive incorporatio jure pleno. In hoc casu collegium aut dignitarius non tantum usumfructum proventuum incorporati beneficii habet, sed etiam rector principalis, parochus primitivus appellatur; ipse tamen ministerio sacro non fungitur, sed vicarium constituere tenetur, qui vel temporalis vel perpetuus esse potest. Huic portio congrua proventuum pro decenti sua sustentatione ex arbitrio Ordinarii subministranda est a). Vicarius solet esse perpetuus, si vi instrumenti incorporationis ex clero seculari constituendus est. Si vero coenobium aut monasterium regularem vicarium constituere potest, est tantum temporalis. Superior ordinis eum revocare potest, cui vicarius vi sui voti obedire tenetur. Secundum modum loquendi nostris legibus proprium incorporatae alicui religioso ordini parochiae, ad quas ordinis Superior religiosos exponere potest, parochiae ordinis; illae vero, ad quas ordo nonnisi jus praesentandi secularis sacerdotem habet, sine discriminne, an de cetero ordini quoad temporalia incorporatae sint vel non, parochiae patronatus regularis nuncupantur b).

---

a) Conc. Trid. S. 7, cap. 7. de reform. — b) 14 Dec. 1764  
pro Boh. 11. Sep. 1785. 23 Aug. 1804.

*Divisio beneficiorum.*

Divisio beneficiorum, sive sectio tunc accedit, si quod beneficium tales mutationem subeat, ut ex eo duo aut plura oriantur. Hic eadem requisita observanda sunt, quae jam superius circa innovationem generatim (§. 8) et in specie circa unionem (§. 10) explanata sunt. Ad causas graviores, ex quibus divisio beneficiorum licite sit, pertinent praeципue: magna locorum distantia, difficultas viarum *a*), et etiam increscens populi multitudo in aliqua parochia *b*), licet Concilium Tridentinum in casu ultimo tantum assumptionem plurium cooperatorum parocho injungat. Idem concilium permittit, in sectione curati beneficii partem proveniunt arbitrio episcopi definiendam antiquae parochiae subtrahere, atque novae attribuere *c*). In tali casu etiam jus praesentationis antiquo parocho quoad novam parochiam dandum, atque antiquae parochiae unam alteramve praerogativam relate ad neoerectam reservandam esse praecepit *d*). Inde est, quod nonnunquam parochus ecclesiae matricis quasdam honoris praerogativas in nova, quae frequenter filialis seu subparochia dicitur, habeat *e. g.* praecedentiam in ecclesia, jus advocatiae, jus aeditui assumendi, jus exigendi, ut constitutus in nova ecclesia sacerdos certis temporibus antiquam matrem ecclesiam adeat etc. Etiam in communi jure ecclesiastico vestigia talium honoris praerogativarum occurunt *e*). Curatores animarum in talibus

*a)* Conc. Trid. S. 21. cap. 4. de ref. cap. 3. de eccles. aedif.

— *b)* Arg. can. 50 et 53. caus. 16. q. 1. — *c)* Conc. Trid.

loc. cit. — *d)* Cap. 3. de eccl. aedif. — *e)* Cap. 11. de

major. et obed. cap. 2. de capel. monach.

avulsiis parochiis frequenter vicarii duntaxat parochiales vel subparochi non inantur. In Austriacis ditionibus attamen occasione ordinationis parochiarum inde ab anno 1783 factae divisiones earumdem ita sunt in effectum deductae, ut antiquis parochis de suis fundatis proventibus nihil ademtum, sed nec jus praesentationis, nec ulla specialis prerogativa relate ad novas parochias concessa fuerit f). Tanquam species divisionis etiam dissolutio unionis consideranda est, per quam unita prius beneficia auctoritate publica denuo separantur, atque in pristinum statum restituuntur. Hoc fieri potest, si causa unionis cessen, aut si per noviter obortas circumstantias unio nociva evadat g), aut si in unione praescriptae normae non fuerint observatae \*).

### §. 13.

#### *Oneratio beneficiorum.*

Oneratio beneficii contingit, si beneficiato aut ipsi beneficio novum quodpiam onus imponatur. Hoc onus vel est personale, quod in officio novo, Sacerdoti recens injuncto, consistit, vel onus reale, vi cuius pars proventuum, vel certa pecuniae summa a beneficio aliorum dependi debet. Talis praestatio, si in signum pristinae subordinationis vel cuiusdam abdicati juris imponatur, census; et quidem si statim in fundatione beneficii imposita fuerit, census antiquus, secus census novus; si vero ad sublevandum egenum sacerdotem vel laicum injungatur, penatio ecclesiastica nominatur. Impositio one-

---

f) 24 Oct. 1783. n. 6. 8 et 9. — g) Cap. 1. ne sede va-  
cant. — \*) Cone. Trid. S. 7. cap. 6. de ref.

ris personalis Juris canonici consultis speciatim reformatio beneficii dicitur; reservatio autem portionis proventuum, quam collator beneficii in eo conferendo in proprium commodum facit, in canonibus *a)* speciali diminutionis beneficii nomine venit. De oneratione beneficiorum sequentes positiones sunt notandae: *1º* nova officia vel onera personalia pro ratione adjunctorum, exigente bono ecclesiae communi, beneficiato imponi possunt *b)*. Ad ea suscipienda alioquin quivis sacerdos jam per receptionem sacerorum ordinum se obligavit. Sic apud nos cum simplicibus beneficiis cura animarum in regula conjuncta fuit *c)*.

*2º* Statim in fundatione tam fundator, quam episcopus etiam realia onera beneficio imponere potest *d)*. Sic exempla habentur, quod a parochia recentioris erectionis antiquae, ex qua illa ortum traxit, annua praestatio sub nomine pecuniae absentiae aut recognitionis dependenda veniat. Eo pertinet etiam summa aversionalis, quam novi parochi et locales capellani loco jurium stolae antiquis parochis, a quorum parochiis illorum communitates avulsae sunt, annuatim solvere tenentur *e)*.

*3º* Proprie sic dicta diminutio beneficiorum interdicta est *f)*. Attamen collatores beneficiorum per privilegium aut praescriptionem, vel alio justo titulo jus acquirere possunt partem proventuum primi anni decerpendi i. e. annatas percipiendi *g)*. Huc pertinent sic dictae pecuniae pro capienda

---

*a)* Cap. unic. ut eccl. benef. sine dim. conf. — *b)* Cap. 11. de praeb. — *c)* 24 Oct. n. 5, 9 Febr. 1784. — *d)* Cap. 13. de cens. cap. 23. de jure patr. — *e)* 12 Jul. 1805. — *f)* Cap. un. ut eccl. benef. sin. dim. conf. cap. 13 et 15. de cens. Conc. Trid. S. 24. cap. 14. de ref. — *g)* Cap. 9. de off. ord. in 6º. cap. 10. de rescript. ibid.

possessione per privatos beneficiorum patronos a praesentatis exigi solitae, item taxæ aulicae in adeunda caesarea parochia solvendae. Hæ secundum primitivam suam destinationem ferendis aedificiorum expensis inservire deberent *h*); ast nunc nomine confirmatoriae et installatoriae taxæ exiguntur, et eapropter in alium rejiciuntur locum *i*).

4º Etiam alia nova, praecipue perpetua, realia onera juxta canones ecclesiasticis beneficiis imponere non est licitum *k*). Talis itaque oneratio tantum in casu singularis necessitatis, auditis iis, quorum interest, atque secundum ipsos canones *l*) nonnisi cum consensu terrae principis fieri posset.

5º Totalem pensionum prohibitionem, quae vehementer urgebatur, concilium Tridentinum pronunciare noluit, sed solum constituit, ne cathedrales et parochiales ecclesiae pensionibus graventur, si illarum redditus annui mille, harum centum aureos non excedant *m*). Ceterum cum pensiones vera realia onera sint: tantummodo sub mox dictis conditionibus locum habere possunt. Secundum nostras leges resignatio beneficii non est justus titulus reservandæ sibi partis proventuum ejusdem, aut alicujus pensionis *n*), quod etiam de permutatione beneficiorum valere debet, nam haec mutuam permutantium resignationem in se complectitur.

---

*h*) 21 Jan. 1769 — *i*) 12 Jul. 1777. — *k*) Cap. 3. 7. et 11.  
de cens. — *l*) Cap. 10. de cens. — *m*) Ses. 24. cap. 14.  
— *n*) 4 Dec. 1784.

§. 14.

*Dismembratio.*

Speciem quamdam onerationis seu diminutionis praesefert quoque dismembratio, per quam pars proventuum beneficio detrahitur, et alteri in perpetuum adjicitur, ita tamen, ut quoad reliqua ambo beneficia in suo priori statu perseverent. Etiam dismembratio in regula est illicita *a)*; atque ut licita evadat, omnes illae solemnitates requiruntur, quae generatim ad alienationem bonorum ecclesiasticorum necessariae sunt *b)*. Justa dismembrationis causa tunc adest, si unum beneficium superfluis proventibus gaudeat, aliud vero nec sufficientem sustentationem subministret, et si huic alio modo prospici non possit *c)*. Juxta nostras leges antiquae parochiae in possessione fundatorum proventuum relinquendae sunt, nec per erectionem novarum quidquam detrimenti in eas redundet. Quare in erigendis novis parochiis, vel localibus capellaniis in regula nulla propositio, juxta quam novae parochiae cum jactura antiquarum dotandae essent, facienda vel audienda est *d)*. Novissimis tamen temporibus, ad deficientem clero curato, praecipue autem novis animarum curatoribus congruam sustentationem procurandam ex consideratione, quod antiqui parochi, a quorum jurisdictione pars ad creandam novam per se subsistentem curatiam excissa est, per hanc novam parochiarum ordinationem reipsa lucrati sint, cum ipsis non solum pars laboris et curae, sed etiam expensarum in unum aut binos cooperato-

---

*a)* Cap. 26. de praeb. — *b)* Cap. 9. de his, quae fiunt a Praelatis sine consensu Capituli. — *c)* Conc. Trid. S. 24. cap. 13. de reform. — *d)* 16 Aug. 1783. pro Austr. inter.

res faciendarum dempta sit, constitutum est, ut eveniente antiquae parochiae vacatione in consultationem trahatur, an pars reddituum antiqui beneficii pro melioranda novi animarum curatoris sorte modo justitiae plene conformi converti possit? Iste casus emergere potest respectu donorum a communitatibus solum propter certa servitia, consequenter ei, qui haec praestat, destinatorum. Quo spectant jura stolae, in nonnullis casibus etiam decimae, atque peculiares fundi, qui in quadam parochia non tam ad locum, quam ob peragendum in certa communitate sacrum officium fundati sint; in tali casu intentio fundatoris non adimpletur, si illis fruatur, qui nequidem jus amplius habet haec servitia praestandi. Hinc Gubernia respectu antiquarum parochiarum, ex quibus novae excissae sunt, de casu in casum, quo vacatio talis antiquae parochiae contingit, post accuratam adjuncrorum investigationem praevie auditio ordinariatus consilio suam altissimae sanctioni substernendam opinionem unitae cancellariae aulicae manifestent, an et quomodo sors novi parochi, vel localis capellani hac via melior reddi posset e).

### §. 15.

#### *Retentio. Intercalares proventus.*

Retentio est proventuum vocantis beneficii in alium, quam ad quem ordinarie destinati sunt, usum conversio. Juxta canones ecclesiae eos in utilitatem beneficiorum converti, vel pro successore fideliter asservari oportet a). Conversio in

---

e) 28 Jan. 1819.

a) Cap. 40. de elect. (I. 6.) in 6°. cap. 9. de off. ordinar. in 6°.

commodum ecclesiae fit, si debita ecclesiae solvantur *b*), vel collapsa ecclesiae aedificia restaurantur *c*). Ast si necessitas exigat, vel alia legitima adsit causa, redditus vacantis beneficii etiam in aliud usum retineri *d*), et eam ob rem ipsa beneficii collatio ad aliquod tempus differri potest. Juxta nostras constitutiones omnes intercalares episcopatum et aliorum ecclesiasticorum beneficiorum proventus, ad quemcunque antea pertinuerint, in religionis fundum inferendi sunt *e*). In ejusdem commodum etiam redditus intercalares parochiarum exteri patronatus sine discrimine an patronatui cuiusdam privatae personae, vel exteri coenobii obnoxiae sint, colligendi veniunt *f*). Quin ipsum etiam intercalare de salarii augmento annuo 100 vel 150 florenorum, quod capellanis campestribus ex fundo religionis concessum erat, in computum hujus fundi, quamdiu illud augmentum duravit, legitime inferendum fuit *g*). Ab hac lege excipiuntur 1º ea beneficia, quorum proveniens ab integro corpore (religiosa communitate) vel indivisim possidentur, vel pro rata inter membra dividuntur. Huc spectant omnia coenobia (praelatura), atque omnia ad dotationem monasteriorum destinata regularia beneficia, quorum scilicet proveniens integro nunquam vacanti corpori competit, et ex quibus singula individua duntaxat necessariam sustentationem accipiunt, uti etiam canonicatus et dignitates capitulorum nullos certos et definitos, a communi capituli massa separatos, proveniens habentes, sed solum ex redditibus hujus communis massae assignatam portionem percipi

---

*b*) C. p. 32. de verb. signif. — *c*) Cap. 10. de rescr. in 6º. Conc. Trid. S. 21. cap. 7. de refor. — *d*) Cap. un. ut eccl. benef. sin. dim. conf. — *e*) 28 Oct. 1783. — *f*) 5 Jun. 1787. — *g*) 7 Mart. 1806. c.

entes, quia isthic vacans portio ex natura communionis illico reliquis accrescit, atque ad integrum pertinet corpus.

2º illa beneficia, quorum proventus in conexas cum his, etiam tempore vacantis beneficii adimplendas, praestationes, uti missas, alia pietatis exercitia, elemosynas, vel alimoniam pauperum penitus erogantur; nam solum id, quod subtractis ad implendas hasce obligationes faciendis expensis, necessariis administrationis sumptibus, pecuniisque ad relinquendum successori fundum instructum impendendis, quatenus hic ex haereditate praecessoris restitui nequit, de proventibus superest, tanquam inferendum fundo religionis intercalare spectandum est *h*). Initio ipsae etiam tempore intercalari currentes missae rationibus fundi religionis imputari debebant *i*): modo autem currentia missarum stipendia in administratoris commodum cedunt *k*). Praetensio, quod intercalares Archiepiscopatum et Episcopatum proventus successori ad ferendas taxas competant, nullatenus locum habet *l*). Quoad vacantes Teutonici et Melitensis ordinis parochias eo res recedit, an eae sint ordinis parochiae, vel solum ejusdem juri patronatus obnoxiae. Illae ut regulares coenobiorum et monasteriorum parochiae considerandae, proinde a pendendo intercalari liberae sunt, hae vero proventus intercalares fundo religionis solvere debent *m*). Intercalare a die vacantis per mortem, resignationem, aut alio modo beneficii, usque diem subsecutae confirmationis vel canonicae institutionis, computandum, et inferendum est *n*). Ubi reditus parochiales potissimum

---

*h*) 8 Febr. 1771. §. 1 et 2. — *i*) 26 Mart. 1788. — *k*) 14 Febr. 1799. — *l*) 8 Febr. 1771. n. 1. — *m*) 23 Aug. 1804. — *n*) 8 Febr. 1771. n. 2.

ex fundis proveniunt, ibi proventus intercalares demum post elapsum annum perso*vi* debent o). Haereditas sacerdotis cuiusvis curati inter haeredes prius dividenda non est, quam rationes intercalares Gubernio traditae sint, atque debita fundo religionis summa determinata fuerit p). Huic constitutioni etiam instructio, juxta quam in casibus intercalaribus procedendum esset, annexa, atque formulare conficiendarum rationum intercalarium adjunctum fuit, quae vero in nulla legum collectione typis impressa inveniuntur. Donec haec in lucem publicam protracta fuerint, is, quem plura hac de re scire oportet, editam olim pro Galicia occidentali super administrandis beneficiorum ecclesiasticorum intercalaribus proventibus de die 15<sup>a</sup> Maii 1801 constitutionem, in qua latarum de super pro reliquis provinciis haereditariis legum ratio habita fuit q), cum adjuncta ei computandorum intercalarium redditum instructione, cui quatuor formularia adnexa sunt, in subsidium vocare debet; licet omnia, quae ibi praescribuntur, in reliquis Austriacis ditionibus fors plenam applicationem non habeant.

### §. 16.

#### *Suppressio.*

Sublatio seu suppressio beneficii est gravissimus, et plurimum odiosus innovationis modus, quare et haec in effectum deduci non potest, nisi omnes ad quamvis innovationem requisitae quali-

---

o) 10 Jul. 1787. — p) 15 Jul. 1796. — q) In politicis legibus et constitutionibus Francisci I. T. 16. n. 16. et apud Schwertling Tom. IV. pag. 77.

tates praesto sint *a*). Sufficiens innovationis causa adest, si finis beneficii cessen e. g. communitas fidelium interierit. Apud nos plura simplicia beneficia tanquam minus utilia ob fines majoris momenti fundo religionis illata sunt, hacte ratione magis proficiam pro omnibus destinationem obtinuerunt. Canones ecclesiastici etiam punitionem gravis sceleris *b*), vel defectum sufficientis dotationis *c*) pro justis causis habent supprimendi beneficium; attamen praecipiunt, ut suppressum ob deficientes proventus beneficium his auctis restauretur *d*). Immo Sacerdotum penuria reductionem beneficii necessariam reddere potest. Sic apud nos in nonnullis locis quaedam neoerectae parochiae et locales eapellaniae, quae supervacaneae visae sunt, ob penuriam sacerdotum sunt sublatae.

## Sectio II.

### De statu civilis animarum curae in ditionibus Austriacis.

#### §. 17.

##### *Varii respectus isthic habendi.*

Ad veram de statu civilis in Austria animarum curae cognitionem assequendam oportet 1<sup>o</sup> statum antiquarum parochiarum seu illarum, que ante annum 1783 exstiterant, nosse; ab hoc 2<sup>o</sup> novam

---

*a)* Conc. Trid. S. 24. cap. 15. de reform. — *b)* can. fin. caus. 25. q. 2. — *c)* cap. 33. de verb. signif. Conc. Trid. l. c. — *d)* cap. 9. de constit.

parochiarum ordinationem distingvere, per quam ab anno 1783 ad faciliorem reddendam, et adjuvandam animarum curam, partim novae parochiae et locales capelliae erectae, partim etiam in antiquis parochiis novae divisiones, seu sic dictae exscissiones et adjunctiones communitatum factae, partim aliae cum his cohaerentes dispositiones executioni datae sunt. Insuper 3<sup>o</sup> coenobiales et claustrales parochiae, respectu quarum speciales quaedam normae vigent, et 4<sup>o</sup> praescripta ob emergentem sacerdotum penuriam remedia pecunialem considerationem merentur.

§. 18.

*Antiquae animarum curatorum Stationes.*

Cura animarum in antiquis parochiis per proprie dictos parochos, per perpetuos et temporales vicarios, per dependentas ab illis locales capellanos vel ita dictos expositos, atque per capellanos vel cooperatores, qui nonnunquam ad ecclesias filiales peragendi officii divini causa excurrunt, administratur. Per novam parochiarum ordinationem status antiquarum stationum, dempta nova finium circumscriptione, non est immutatus. Tantum priscae in quibusdam locis ob propensionem incolarum ad protestantismum suspectis existentes missionum stationes sublatae, vel suppresso missionarii nomine in novas curatias transformatae sunt *a*). In filialibus, ad quas olim capellani excurrere solebant, plerisque non tamen omnibus, proprii independentes animarum curatores fuerunt constituti *b*); expositi vero capellani

---

*a)* 17 Jun. 1782 — *b)* 12 Sept. 1782.

fere ubique in pristina erga parochum subjectione perstiterunt, licet iis una vel altera proprius sita communitas curanda adiceretur c). Attamen parochi suis expositis capellanis, quos ipsi sustentare debent, omnium parochialium functionum exercitium in loco expositurae concedere jussi sunt d).

§. 19.

*Novae parochiarum ordinationes. Regulae pro parochiis ruralibus.*

Nova parochiarum ordinatio sine ullo respectu antiquae parochiarum divisionis solummodo pro necessitatibus frequentiae populi, situs locorum, atque aliarum circumstantiarum, partim per erectas novas parochorum stationes, partim per excisiones, et adjunctiones communitatum perfecta fuit. Hunc in finem certae regulae directivae praescriptae sunt, quae nunc adhuc in tali negotio pro norma inserviunt. Ruri nova parochia vel localis capellania erigenda est: 1º Ubi parochiani vel aquis, aut altis montibus, aut tempore hyemis nivibus, atque viarum difficultatibus parochiale ecclesiam adire magis minusve prohibentur, vel penitus impediuntur. 2º Ubi distantia locorum unam itineris horam excedit. 3º Ubi communitas supra septingentas, et in regionibus, ubi catholici habitant permixti cum aliarum religionum asseculis, circiter quingentas animas complectitur. Illorum locorum praecipua habenda est ratio, in quibus jam constructa adsit ecclesia, vel ostendi possit, extitisse olim proprium animarum

curatorem, vel ubi jam aliquis fundus ad susceptionem sacerdotis suppetat. Majorem adhuc respectum merebantur itaque illa loca, in quibus pridem fundatus beneficiatus extiterat; cui, si episcopo habilis visus fuerit, illico jura parochialis concedi potuerunt. Exscissio unius alteriusve communitatis ab una parochia, ejusque adjunctio ad alteram parochiam finium parochialium pro locorum adjunctis aptius regundorum causa ibi fieri debebat, ubi parochus aditurus suos parochianos per alienam parochiam transire cogebatur, aut ubi confusio plurium parochiarum in eodem loco deprehendebatur, vel ubi parochianis ad aliam ecclesiam multo brevior via, quam ad propriam, vel ad hanc multo difficilior, quam ad illam, patetabat a).

§. 20.

*Regulae pro urbanis parochiis.*

In metropolibus aliisque provincialibus urbibus nova parochiarum ordinatio secundum sequentia principia peragebatur. Parochiae pro ratione frequentiae populi multiplicatae sunt, ne ulli parochiae minis multae animae, quibus difficulter invigilatur, adscriberentur; neve clerus ullo in loco majori, ac oportet, numero cogeretur. Extraordinariorum quoque casum, veluti morborum, atque imminuti, quod per religiosos omni in cura animarum praestabatur, auxili ratio habita fuit. Extensio parochiae urbis ad suburbia, item necessitas transitus parochi per districtum alterius devitanda fuit. In parochiales illae ecclesiae seli-

gendaे erant, quae facilem aditum praeberent, satisque ampliae essent, ut binis vicibus integrum communitatem parocho adscriptam capiant. In urbe pro mille animabus duos sacerdotes, in suburbio pro septingentis circiter unum constitui oportebat *a.)*

§. 21.

*Novi parochi, et locales capellani.*

Ubi juxta supradictas directivas regulas novae curatorum stationes necessariae videbantur, novi parochi vel locales capellani fuerunt constituti. Ambo a parochis, a quorum parochiis illorum districtus avulsi fuerunt, sunt independentes, habentque ordinariam cum his perfecte aequalem parochialeм jurisdictionem *a)*, ambo itaque respectu potestatis spiritualis sunt veri parochi et indubii beneficiati; salarium suum vel ex fundo religionis, vel ex assignatis simplicibus beneficiis accipiunt. Discrimen inter parochos novos et capellanos locales nonnisi minores his adsignatae communitates, atque minus, quo fruuntur, salarium faciunt; quare etiam localium capellanorum nomine ab illis discernuntur. Ceterum hi novi locales capellani cum antiquis expositis capellanis non sunt confundendi; nam hi tantum delegatam sibi a parochis suis jurisdictionem exercent, quae sua natura limitata esse potest, quamquam juxta nostras leges (*§. 18*) in regula esse non deberet; praeterea suo parocho, qui eos in remotiorem filialem exponit, subjecti sunt, atque ab eo sus-

*a.)* 26 Apr. 1783 —

*a.)* 24. Oct. 1783. 24. Sept. 1785.

tentantur, et non sunt beneficiati. Licet per erectas novas curatorum stationes ambitus antiquarum parochiarum fere omnium imminutus sit: tamen antiquis parochis ususfructus suorum fundatorum proventuum salvus mansit, atque ne quid detrimenti ulla ex parte in suis redditibus paterentur, ipsa etiam jura stolae de excisis districtibus porro percipiunt. Novi itaque parochi et locales capellani nullis stolae juribus fruuntur, sed haec antiquis parochis dependere tenentur *b*). In vicem tamen horum mutabilium stolae jurium vi recentioris constitutionis secundum basim ultimorum quinquennalium redditum summa aversionalis stabilienda est, quam novi animarum curatores antiquis parochis annue solvant *c*). Ubi vero intra hos et illos de hac summa aversionali conventio inita nondum est, ibi jura stolae plane a colonis, qui novae curatiae post suam erectionem accreverant, antiquo parocho persolvi debent. Ast taxae pro copulatione solatae a sponsis, cum litteris dismissoriis sui parochi, copulationis causa ad neorectam curatiam comparentibus, tanquam fortuita dona pro novo animarum curatore, qui eos qua delegatus proprii illorum parochi matrimonio jungit, considerandae sunt, atque eapropter antiquo parocho, cui olim haec nova curatia instar filialis obnoxia fuit, non inferendae, quia hic copulationis actus neque ejus antiquos parochianos attinet, neque ejus nomine peragitur, et quia is de preventibus, quos sine erectione novae parochiae percepisset, nihil amittit *d*). Omnis tamen juri um stolae in commodum parochorum antiquorum

---

*b*) 26 Apr. n. 7. 16 Aug. n. 1. 24 Oct. n. 8 et 9. 1783. 24 Sept. 1785. n. 2. — *c*) 12 Jul. 1805 — *d*) 14 Febr. 1801.

imputatio successu temporis extra usum veniet, quia in conferendis antiquis vacaturis parochiis id curandum erit, ut dona a communitatibus solum propter certa servitia consequenter etiam eiant tantum, qui haec praestiterit, destinata, uti sunt jura stolae, huic tantum imposterum cedant \*). Aeque et illae summae, quas excissae, et in nova parochiarum ordinatione propriis curatoribus provisae communitates pro celebrando, statis temporibus in ecclesia filiali, officio divino antiquis parochis pendebant, jam prorsus cessarunt, quia antiqui parochi talia pietatis exercitia in gratiam harum communitatum non amplius peragunt \*\*). Novis curatiis de parochialibus, et ecclesiasticis requisitis vel ex proprio ecclesiae patrimonio, si quod possedit, aut ex fundo religionis prospiciebatur. A procurandis per antiquos parochos ejusmodi requisitis recessum est \*\*\*).

§. 22.

*Cooperatores. Beneficiati.*

Ubi copia assignatarum cuidam parochiae animarum poposcit, tam in neoerectis, quam in antiquis ad sustentandum cooperatorem haud sufficierter dotatis parochiis cooperatores seu capellani sumptibus fundi religionis constituti sunt. Attamen parochiae undecies centum animas complectenti, siquidem in planicie sita sit, secundus cooperator ex fundo religionis sustentandus non concedatur *a*). In ordinandis Graeco - catholicis pa-

<sup>\*)</sup> 28 Jan. 1819. — <sup>\*\*) 24 Oct. 1783 n. 9.</sup> — <sup>\*\*\*) 16 Febr.</sup>

1788.

*a)* 29 Mai 1786.

rochii principium isthoc in memoria retineatur, quod pro 1400 animabus unus cooperator compus-  
tandus sit \*). Cooperatores sustentationem suam ex fundo religionis percipientes erga parochum in ea relatione esse debent, in qua sunt reliqui a parocho ipso sustentati cooperatores. Salarium non cooperatoribus ipsis ad manus detur, sed parochis, quibus operam praestant, cum hac obli-  
gatione tribuatur, ut hi eos more in provincia usitato sustentent, atque ab iis inherentes salario obligationes adimpleri faciant, cui rei ordinaria-  
tus invigilare tenetur. Attamen parochi pro suis ex fundo religionis dotatis capellanis apochas per-  
cepti salarii scribere non amplius possunt, sed cooperatores eas propria manu conscribant, atque per parochos sui nominis subscriptione confirmari carent, ne aerarium summam salarii pro transla-  
to fors jam ad aliam parochiam cooperatore sol-  
vat, atque religionis fundo fructus intercalares hoc modo subtrahantur \*\*). Gubernia invigilent, ne praescriptus ejusmodi cooperatorum numerus excedatur, vel imminuatur. Denominatio perso-  
narum competit ordinariatu b). Parochi vero, qui suos capellanos ipsimet sustentant, eodem et ipsi eligere possunt c). Potestatem transferendi ex uno loco ad alium cooperatores cuiusvis gene-  
ris, exposcente necessitate vel curae animarum emolumento, habet episcopus d). Dotati ex fundo religionis cooperatores in privatis domibus aut diversoriis convivari prohibentur, sed commu-  
nem cum suis parochis victum habere per ordi-  
narios jubeantur e). Simplicia beneficia potissi-

---

\*) 16 Mart. 1789. — \*\*) Rgsvdg. ob der Enns. 11. Dec.  
1807 — b) 17 Mart. 1791 §. IV. 5. — c) 6 Mart. 1784 —  
d) 17 Mart. 1791 §. III. 4. — e) 16 Oct. 1802, 16. Oct.  
1813.

mum vel in parochias, vel locales capellanias aut cooperaturas transformata, vel fundo religionis unita sunt. Translati ad curam animarum beneficiati in pleno suorum reddituum usu permaneserunt. Si quis itaque antea pluribus emolumentis fruitus est, quam quae ferebat salarium novis animarum curatoribus assignatum, illa retinebat f). Subsistentes adhucdum beneficiati ad auxilium in cura animarum praestandum ubique obligantur, atque a parocho loci dependent.

§. 23.

*Sustentatio animarum curatorum in novis stationibus.*

Sustentatio sacerdotum in neoerectis stationibus curatorum primitus pro diversitate provinciarum in 400 usque 600 fl. pro parocho, in 300 et 350 pro locali capellano, atque in 150 usque 250 fl. pro cooperatore defixa a), et vel tota, aut ubi beneficia in eorum sustentationem impendebantur, vel alii proventus pro sacerdote aderant, pro parte ad complendam congruam necessaria ex fundo religionis assignata fuit b). Sed gratuita devolutorum ad fundum religionis fundorum concessio novis parochis aut localibus capellanis fieri non poterat. Qui fundos ejusmodi possidere optabant, eos tantum ea sub conditione accipere poterant, ut eorum redditus juxta localem valorem in pecuniam conversi portioni congruae imputarentur, adeoque summam ipsis in aere parato ex fundo religionis dependendam imminuerent \*).

f) 24 Oct. 1783. n. 8. 24 Sept. 1785. 16 Oct. 1813.

a) 24 Oct. 1783. n. 6. 18 Jun. 24 Sept. 1785. — b) 12 Sept. 1782. n. 4. 24 Oct. 1783. n. 5. 24 Sept. 1785. — \*) 9 Mart. 1789.

Successu temporis pro norma stabilitum fuit, ut vacante tali statione successori in nova parochia dotatio 400 fl. in locali capellania 500 fl. in cooperatura 200 fl. per omnes provincias assignaretur. Constituti tamen eo tempore animarum curatores in novis stationibus retinuerunt assignatos antea sibi proventus \*). Attamen serius ob crescentem alimentorum charistiam localibus capellaniis et cooperatoribus, tercentis solum et r50 fl. ex fundo religionis dotatis, atque nullos alios redditus habentibus annum salaria augmentum 50 fl. indultum fuit c), quod tamen tantum iis, qui suam congruam in solo aere parato sine naturalibus percipiebant, competitbat d), et ad antiquas meritis 300 florenis dotatas parochias extendi non potuit e). Insuper curandum erat, ut quisque novus parochus vel localis capellanus pro sua re familiari hortum, atque parvum pratum obtinat f). Adhuc major spes convenientis sustentationis obtaindæ novis animarum curatoribus per recentius cancellariae aulicae decretum \*) ex praecepta dismembratione antiquarum parochiarum casu quo vacaverint, illucescit (§. 14). Etiam ecclesiae licite poterant suis animarum curatoribus, si hi exiguum et speciatim 600 florenos non excedens salarium haberent, per locationem quorundam fundorum sine publica auctione censu minori factam quodpiam levamen adferre. Hi agri sex jugeribus constare, atque cuivis animarum curatori, si desideret, et Ordinariatus id svadeat, modo redditus ecclesiae ferendis currentibus expensis sufficient, et in patronatis parochiis patronus consentiat, sine haec tatione concedi pos-

\*) 12 Aug. 1790. — c) 2 Apr. 1802. I. n. 5. 19 Nov. 1807.

— d) 26 Jul. 1804. — e) 28 Apr. 1803. — f) 12 Aug. 1790.

\*) 28 Jan. 1819.

sunt *g*). Congruae curatorum a mortis, vel resig-nationis die cessant, ideoque nonnisi in fine cu-jusvis mensis erga praescriptas, legitima su-perioris subscriptione munitas, apochas solvendaे sunt \*\*).

§. 24.

*Eorum obligatio celebrandi missas pro fun-do religionis.*

Salario ex fundo religionis persolvendo fun-datae missarum aliarumque sacrarum functionum obligationes impositae erant, quas fundus religio-nis de sublatis coenobiis, monasteriis et confrat-ternitatibus, de suppressis beneficiis et ecclesiis clausis susceperebat. Cuius ex fundo religionis vel in toto, vel ex parte dotato parocho, locali ca-pellano, et cooperatori determinatus earum nu-merus gratuito persolvendus attributus est *a*). Numerus fundatarum missarum initio valde ma-gnus fuisse videtur, quum omnes curati diminutio-nem earumdem petentes repulsam ferre jussi sint, quorum obligatio numerum 300 missarum non aequavit *b*); postmodum vero salario novorum curatorum pro futuris temporibus ubique ad aequa-litatem reducto emanavit constitutio, ut in casibus novae provisionis de ejusmodi beneficio curato-facienda successori numerus centum missarum quo-vis anno liber relinquatur, atque solum resi-duo fundatae missae imponantur *c*). Tandem ad sublevandos neodotatos curatos numerus grauita-

*g*) H<sup>r</sup>mrdecret für N. Ö. 2 Sept. 1807. apud Schwerding T. 4. — \*\*) 15 Sept. 1814.

*a*) 31 Aug. 1782. n. 1. 24 Oct. 1783. n. 16. — *b*) 27 Dec. 1793. — *c*) 12 Aug. 1790.

rum fundi religionis missarum ita limitatus fuit, ut dotati 600 florenis solum 180, 400 fl. 120, 350 fl. 105, 300 fl. 90, 200 fl. 75, et 150 fl. 60 missas annue in gratiam fundi religionis personæ vere teneantur; pro reliquis consuetum in provincia stipendum ex fundo religionis accipient, si eodem secundum testimonium sui Episcopi re ipsa indigeant, atque illud a suis communitatibus obtinere non possint d). Attamen ex gratitudine erga universos notos et ignotos fundatores, quorum fundationes religionis fundo illatae sunt, quisque ex eodem vel pro toto vel plus, quam pro parte media, dotatus parochus et localis capellanus insuper annuatim unam missam pro his fundatoribus legere obligatur, ut ita quadam ratione pristinae sublatorum monasteriorum missae conventionales compensentur e).

§. 25.

*Nova regularium parochiarum ordinatio.*

De nova coenobialium et monasticarum parochiarum ordinatione quaedam speciatim notanda sunt. Ubi vel in propriis coenobii ejusdam dominis, aut in ecclesiis filialibus et locis, quae juxta directivas regulas a parochia coenobiali avel lebantur, nova animarum curatoris statio erecta fuit: coenobium in eam suos regulares exponere, atque his ex suis proventibus necessariam juxta passionem anni 1782 pro sustentatione summam subministrare debuit a). In ecclesiis monasteriorum ruralium, in novas parochias commutatis officium parochi existenti, in monasterio examinato

d) 2 Apr. 1802. I. 5. — e) 31 Aug. 1782. n. 9.

a) 24 Oct. 1783. n. 4 et 7. 24 Sept. 1782.

et pro cura animarum approbato religioso, ab Ordinariatu auditis ordinis Superioribus eligendo, quem reliqui monachi tanquam cooperatores pro necessitate adjuvare teneantur, injunctum fuit b). In urbibus vero ad neoerectas in monasticis ecclesiis parochias initio seculares sacerdotes qua parochi promoti sunt, qui sibi ipsis sub inspectione Ordinarii et Superioris ordinis ex religiosis pro cura animarum examinatis idoneos viros qua cooperatores eligere poterant c); dein vero praecepit fuit, ut in casu vacationis quaecunque parochia monastica generatim, ergo etiam urbana, aliqui ad id habili conventus presbytero cum annua 150 fl. remuneratione ex fundo religionis danda conseratur d). Ceterum in stationibus curatis aliqui coenobio vel monasterio incorporatis, in quantum status personalis ejusdem admittit, semper plures, saltim tres Sacerdotes simul esse oportet, ut hac ratione species quaedam communitatis et subjectionis erga Superiorem introducatur, neve expositi religiosi proprio tantum ductui relinquuntur e).

### §. 26.

#### *Nova decanatum ordinatio.*

Cum districtus decanatum antea valde protensi fuerint, neque iis debite invigilari potuerit, cum insuper per novam parochiarum ordinationem numerus parochorum magnopere auctus fuerit, atque etiam independentes locales capellani, qui in spirituali jurisdictione parochis habentur pares,

---

b) 25 Oct. v. 3 Nov. 1785. — c) 26 Apr. 1783. — d) 31 Dec. 1802. — e) 21 Mart. 1772. n. 4. 2 Apr. 1802. II. 12.

ut isti, decanis subesse deberent *a*), novam Decanatum ordinationem fieri oportuit. Quamobrem nova earundem divisio in quavis dioecesi facta, atque pro ratione multiplicatorum curatorum major etiam Decanorum numerus constitutus, hocque modo simul parochis meritorum laude conspicuis occasio frequentior remunerantis promotionis data fuit *b*). Districtus decanatum juxta novam scholarum Germanicarum ordinationem efficiunt etiam districtus scholares, in quibus inspectio scholarum Decano vel isto ad officium scholarum inspectoris districtualis minus apto, substituto interim Vice-decano concredata est *c*).

§. 27.

*Media defectui Sacerdotum occurrendi.*

Plures causae effecerunt, ut sensim penuria Sacerdotum in Austriacis ditionibus emerserit. Diversa eapropter praescripta sunt media, quibus partim numerus clericalium tyronum augeatur, partim necessitas augendi numeri imminuatur, atque ita defectui provisorie interim occurratur. Initiae ad assequendum primum scopum rationes jam alibi (*jur. person. eccl. §. 14*) expositae sunt. Adhibita ad obtinendum secundum finem media sunt:

1º Numerus cooperatorum in parochiis bene dotatis ruri, ubi multi parochi solius commoditatis causa plures cooperatores sustentant, praecipue vero in urbibus, ubi neque procul dissit pagi, nec filiales ecclesiae ad parochiam pertinent, atque major parochianorum multitudo facilius ab uno sacerdote curari potest, imminuendus, et

---

*a)* 24 Sept. 1785. — *b)* 24 Oct. 1783. n. 13. — *c)* Politische Verfassung der deutschen Schulen. I. Absch. §.3.

nullo in loco major numerū Sacerdotum permittendus est, quam qui ad administrandam animarum curam summopere necessarius sit.

2º Sacerdotes missarum celebratione victum quaerentes, si adhuc ad curam animarum habiles sint, in ecclesiis parochialibus praecipue urbanis non sunt tolerandi, sed ad curam animarum applicandi.

3º Superflui in ecclesiis, ad quas peregrinationes institui solent, sacerdotes relictis tantum necessariis pro communitate parochiali, non habitu peregrinatorum eo venientium respectu, item

4º in cathedralibus ecclesiis supervacanei, solum cantu chorali, vel ministerio altaris occupati presbyteri, dein

5º pensione provisi exreligiosi ad euram animarum impendendi sunt, et quidem ita, ut in quacunque cathegoria nunquam minus, quam pensio illorum efficiat, salario habeant. Tandem

6º etiam sacerdotes persistentium Monasteriorum, et praeprimis mendicantium, ad curam animarum, sed nunc solum in subsidium adhibentur. Praetensa horum sacerdotum inhabilitas a Gubernio et praefecturis circulorum adscito ordinariatus commissario non solum juxta testimonia medica, sed quoque juxta praescriptam Decreto 26 Dec. 1788 normam accurate et severe dijudicanda est, simulque etiam videndum, ut juniores et fortiores in molestioribus parochiis montanis, seniores vero et minus apti in urbibus et in planicie constituantur a).

§. 28.

*Reductio superfluarum novarum curatiarum.*

Praeterea partim ex eadem ratione, partim ex aliis mox dicendis causis decretum est, ut neocorrectae curatorum stationes, quae superfluae atque ita comparatae videntur, ut non invito populo, et sine detimento animarum curae reduci possint, quamprimum vacaverint, supprimantur a). Speciatim reducendarum earum localium capellaniarum, quae nimis prope aliam parochiam sitae sunt, atque huic sine impedimento et molestia adjici possunt, ratio habenda est b). Universim omnes, contra directivas regulas erectae, minus necessariae curatorum stationes, praecipue autem a coenobiis et monasteriis dependentes, quamprimum vacaverint, non auditis reclamationibus eorum, quibus tantum temporale commodum cordi est, sensim abolendae, et parochiani vel antiquae matri incorporandi, vel pro ratione adjunctorum etiam aliis parochiis adscribendi, in his vero tot curatores animarum constituendi sunt, quot pro numero animarum situque loci plus minusve molesto necessarii visi fuerint; nam multorum annorum experientia docuit, quod per solitariam vitam potissimum inexperti junioris secularis et regularis cleri, qui ad plenam sui culturam et ad praepediendas ab officiis status et munieris sui aberrationes sapienti ductu, et propiori inspectione seniorum, expertorum, et probatorum parochorum atque Superiorum valde adhuc indiget, decor et auctoritas, disciplina, ordo et moralitas ejusdem graviter passa sit, religiosa vero et politica instituta per multiplicationem novarum

---

a) 12 Aug. 1790. — b) 25 Oct. 1792. §. I. 5.

parochiarum et localium capellaniarum non tantum, ac sperabatur, commodi retulerint. Ejusmodi suppressio et unio novarum curatiarum duntaxat cum consensu Gubernii et Ordinariatus fieri potest c). Si Gubernium cum Ordinariatu de tollenda aut relinquenda locali capellania convenire nequeat, casum cumi opinione sua et relatione dicasterio Aulico substernat d). Illae vero curatorum stationes, quae novae ordinationi parochiarum originem suam non debent, sed vi legitimae acceptatae et confirmatae fundationis jam antea tanquam determinata pro aliquo loco beneficia aderant, qua neoerectae locales capellaniae considerari non possunt; ergo nec in casu, quo vacaverint, reduci, etiamsi minus necessariae vide-rentur e).

### Sectio III.

#### De cura animarum militari.

##### §. 29.

#### *Species curatorum militarium variae.*

Omnia hactenus exposita instituta rem parochiale concorrentia solummodo statum respi-ciunt civilem. Cura animarum militaris in Austria-cis ditionibus propriis innititur legibus. Haec sub directione Vicarii Apostolici castrensis, per sub-ordinatos ei Superiores campestres, atque subor-dinatos his capellanos castrenses, partim etiam per praesidiarios et nosocomiales capellanos ad-

c) 2 Apr. 1802. I. 8. II. 13. — d) 14 Mart. 1806. — e) 21 Jul. v. 1 Aug. 1806.

ministratur. Vicarii castrensis dioecesim efficit universus C. R. exercitus, exceptis confiniis militaris, quae suis subsunt Episcopis dioecesanis. Ad districtum ecclesiasticum Superioris campestris pertinent legiones supremae in provincia armorum praefecturae subjectae, in qua ille constitutus est. Is non tantum inspectionem in attributos his legionibus capellanos campestres exerceat, sed etiam quaedam curatoribus animarum injuncta negotia respectu earum militiae partium exequi teneat, quae ad militiam quidem vagam spectant, sed proprium capellanum campestrem non habent, item in illas quoque militares personas, quae procul a suae legionis praefectis (a suo Stabo), vel a dislocatis extra ordinariam stationem legionibus et cohortibus in loco, ubi ipse degit, morantur a). Jurisdictio capellani castrensis sese exserit in legiōnem, cui adscriptus est. Itaque Superiores castrenses Decanis, et capellani campestres parochis aequiparandi sunt, quibus ii etiam relatae ad taxas chartae signatae pares habentur, ergo et juxta §. 23. Nrum. 11 et 17. edicti chartae signatae tractantur b).

§. 30.

*Origo vicarii Apostolici castrensis.*

Jam ab anno 1534 deprehenduntur vestigia sacrorum antistitum, qui sub diversis nominibus generalis copiarum Vicarii, Superioris campestris, generalis legionum capellani, magni capellani potestatem episcopalem in exercitum caesareum exercebant, attamen initio solum durante bello; anno autem 1689 Pontifex jurisdictionem episcopalem

a) Rgsvdg 10 Mart. 1804. b) Hkmrdeer. 25. Oct. 1804. —

in copias caesareas etiam pro tempore pacis suo in aula caesarea tunc residenti nuncio contulit cum facultate, ut is hanc confessario Caesaris delegare possit. Anno 1720 P. Clemens XI. copias caesareas a potestate episcoporum penitus exemit simul concedens, ut in futurum semper denominatus ab Imperatore vicarius Apostolicus castrensis jurisdictionem episcopalem in universum exercitum haberet. Anno 1773 sub Imperatrice M. Theresia Apostolicus Vicarius castrensis C.R. Consilio aulico - bellico subjectus est *a).*

§. 31.

*Nominatio, et facultates ejusdem.*

Vicarius igitur Apostolicus castrensis a sua Majestate nominatur, a Pontifice confirmatur atque facultatibus instruitur. An ordinem episcopalem recipere velit, in suo arbitrio positum est. Facultates sunt iis, quas episcopi accipiunt, similes; attamen in nonnullis punctis magis extensa, in aliis magis coarctatae, atque plerumque ad septem annos conferuntur. Ita vicarius Apostolicus castrensis obtinet facultatem vel per se, vel per alios, quos severe prius examinatos judicaverit aptos, omnia Sacra menta, excepto Sacramento Ordinis et Confirmationis, pertinentibus ad militiam personis dispensandi, atque reliquas parochi functiones obeundi. Etiam intuitu conferendarum indulgentiarum, et summariae inquisitionis, atque decisionis causarum ecclesiasticarum ejus potestas est major, quam Episcoporum. Ast nullas dispensandi ab impedimentis matrimonii facultates

---

*a)* Franc. Hübner milit. Oecon. System. T. IX<sup>4</sup>, cap. XXXVI.  
Sect. 1. §. 9643. pag. 82. 83.

habet, sed solum a proclamationibus ejusdem. Notandum est Pontificem velle: ut in ineundo intra civilem et militarem personam extra castra bellica matrimonio tam civilis parochus quam capellanus castrensis adsint, atque jura stolae inter se partiantur *a).*

§. 32.

*Jura et obligationes ejusdem.*

Apostolico vicario campestri est jus in occultis matrimonii militarum personarum impedimentis, nomine utriusque partis celato, casum subversantem competenti supremae armorum in provincia praefecturae denunciandi, atque dispensationem ab impedimento inde petendi. Supremae armorum praefecturae provinciales intercessionem ejus cum favore respiciant, atque petitam dispensationem elargiantur; attamen sub his occultis matrimonii impedimentis absentia legitimae ineundi matrimonii licentiae intelligi nequit *a).* Si de constituendo legionis, praesidii, vel nosocomii, aut de removendo a sua statione indigno capellano campestri, aut de aliis religionis vel ecclesiae quoad exercitum rebus agatur: apostolicus vicarius a consilio aulico-bellico necessaria ad id mandata accipit, aut militare dicasterium aulicum pro ratione circumstantiarum ejus opinionem exposcit *b).* Si corpora militaria aliaeque exercitus partes dimittantur: post tres annos apostolicus Vicarius campestris a Superioratu castrensi protocol.

*a)* Exemplar concessarum ejusmodi a P. Benedicto XIV. 20. Mar. 1741 facultatum invenies in Pauli Jos. a Rieger supplementis corp. jur. eccl. Boh. et Austr. sive in collectione editarum de rebus ecclesiasticis ab A. 1770. Imperantilegum et constitutionum Viennae 1774. pag. 48—57.

*b)* H. K. Rs. Vdg. v. 1 Aug. HKzL Decr. v. 11. Aug. 1801.

*b)* H. K. Rs. Vdg. 3. Mar. apud Hubler 9. T. §. 9644.

la parochialia in custodiam recipit, ut ex iis dein desideratas notitias impertiri possit c).

§. 33.

*Jura et obligationes superiorum castrensim generatim.*

Superiores castrenses negotia spiritualia in suo districtu regere, moribus capellanorum campestrium et adimplectioni officii eorum invigilare, casus notabiliores Vicariatui Apostolico significare, atque ab hoc necessaria mandata petere debent a). Subjectos sibi capellanos campestres visitare possunt; attamen itinera visitationis minimis faciant expensis b). Si quis Superior campestris castra sequi jubeatur, officium divinum in stativis primariis ex mandato ibidem imperium gerentis belliducis generalis peragit. Omnes capellani campestres subsunt eidem. Is attendere porro debet, ut officium divinum etiam in legionibus et nosocomiis rite peragatur. Itaque subordinatos castrenses et nosocomiorum capellanos scopo conformiter instruere, atque fors negligentes ad suum officium revocare tenetur c).

§. 34.

*Speciatim quoad proclamandum matrimonium, dispensanda agonizantibus Sacra menta, quoad funera, baptismum, copulationes et relate ad stipendia missarum.*

*Proclamationes matrimonii militarium perso-*

c) H. K. Rs. V. 6 Febr. 1810, 10 Dec. 1815 apud Hübler §. 9647. —

a) H. K. Rs. V. 8. Jul. 1775. 3 Mart. 1803. apud Hübler §. 9656. b) H. K. Rs. V. 8 Jul. 1775. ibid. §. 9652. — c) H. K. Rs. V. 7 Febr. 1770. 1 Nov. 1797 apud Hübler §. 9656.

narum a parochis civilibus in suis ecclesiis parochialibus, ad quas obnoxii militari jurisdictioni sponsi vel alteruter ex iis pertinet, sed nomine Superioris castrensis gratis peragendae sunt. Ast Superior castrensis habet jus animas suae curae adscriptas, si hae desiderant, ex parochiali ecclesia, in cuius districtu habitant, publice Sacramentis in agone providendi, atque sepeliendi, item inaugurationes nuptiales, si sponsus et sponsa, aut solum haec jurisdictioni parochiali Superioris castrensis subsit, in parochiali ecclesia sponsae peragendi, quin propterea parochus civilis, ecclesia, vel famuli ecclesiae a militaribus personis alias taxam, quam quae hucusque in casibus sepulturae fors ecclesiae parochiali solvebatur, postulare queant. Hujus tamen juris exercitium a parochis civilibus semper amico modo et non more mandantis petat, atque, quin praevio opportuno tempore civilem parochum reddat certiorem, nihil suscipiat *a*). Quare clerus civilis evenientes fors copulationes, baptizationes et funera cunctarum ad militiam vagam pertinentium personarum, item earundem proclamationes antequam se tali functioni ingerat, ad Superiorum castrensem remittere debet *b*), Superior castrensis Missas, quas in subsidium subordinatorum sibi capellanorum campestrium obtainere cupit, annue semel postulare tenetur. Assignatio stipendiorum pro concessis missis in ejus personam, et erga ejus apocham fit. Is dein eas inter capellanos castrenses pro suo arbitrio partiri, atque sibi de celebratis Missis certitudinem procurare obligatur *c*). Denique habet jus praesentatos capellanos, antequam ad legionem expediantur, ex-

---

*a)* Rgsvdg 31 Jan. 1805. 19. Mai 1808 §. 3 d. — *b)* Vdg 23 Aug. 1798. *c)* Hdecr. 3. Sep. 1806.

minandi et approbandi d). Si quod dubium ob-  
oriatur, capellanis legionum editas de extensione  
ipsorum jurisdictionis constitutiones explicit, eos-  
que, quid factu opus sit, edoceat e).

§. 35.

*Imprimis quoad scribenda parochialia pro-  
tocolla.*

Praecipua obligatio Superioris castrensis est:  
libros parochiales quoad eas militiae partes, quae  
ad militiam vagam spectant et proprios capella-  
nos campestres non habent, conscribendi. Eo  
pertinent Generales, suprema armorum praefec-  
tura provincialis, corpus Architectorum campe-  
strium, officiales loco adscripti, personae ad rem  
annonariam et transportationem pertinentes, cor-  
pus ad cuniculos viasque subterraneas ac pontes  
struendos aptatum, suprema navigiorum praefec-  
tura, inservientes armamentario, fundendis tor-  
mentis et cudendis armis, praefecti curando et  
custodiendo vestitui militari, pertinentes ad no-  
socomium animalium et rem vehicularem, denique  
omnes ii milites, qui procul a suae legionis praef-  
fectis, vel a suo extra stationem ordinariam dislo-  
cato corpore militari in districtu Superioris castren-  
sis commorantur. Ut vero Superior campestris de  
talibus personis legales noticias semper impertiri  
possit, quin partes necesse habeant easdem cum  
rerum et temporis jactura undequaque conquire-  
re: postulante suprema armorum praefectura pro-  
vinciali sequens dispositio facta est: civiles ani-  
marum curatores semper sub finem anni militaris

---

d) 25 Aug. 1775. — e) Armeebefehl v. 1. Sept. 1807 apud  
Schwerding 4 T. pag. 72.

omnium per annum in sua parochia baptizatarum, copulatarum et mortuarum militarium personarum seu ad vagam seu ad stabilem pertineant militiam, dummodo militari jurisdictioni subsint, fidem consignationem annotata pagina, quam in suis protocollis parochialibus earumdem nomina occupant, per decanos consistorio mittere obligantur. Consistorium collectas consignationes Gubernio, istud vero supremae armorum praefecturae provinciali, ut Superiori campestri tradantur, exhibet f).

Cum capellani castrenses jussi sint annue una cum summariis baptizatorum, copulatorum et mortuorum indicibus etiam relationem facere de statu, in quonam libri parochiales sint, Superiores castrenses, quamprimum indices ad eos pervenerint, eo attentionem suam convertant, ut omnis deprehensa jactura vel alia laesio illico vindicetur, et quantum fieri potest, reparetur. Exinde etiam adnotaciones eum in finem confidere possunt, ut praevie sciant, quem numerum et quod genus protocollorum eveniente bello a qualibet militiae parte recipere debeant; nam euntibus in bellum legionibus et reliquis cohortibus Superioratus campestris ejus provinciae, a qua capellanus castrensis ad curam animarum militarem praesentatus fuit, omnes libros ejusdem parochiales sine exceptione una cum confecto, manu propria capellani castrensis, indice de numero et genere protocollorum recipere, et traditionem eorumdem solertissime urgere tenetur, ob quam rem ambo responsabiles sunt g). Si corpora militiae dissol-

---

f) N. Oe Rgsvdg 10. Mart. 1804. Hdecr. 19 Mai, 15 Sept. 1808 §. 4. N. Oe. Rgsvdg. v. 22 Jan. 1813. g) H. K. Rs. V. 8 Oct. 1810. 3 Nov. 1813. 27 Oct. 1815. ap. Hübl. §. 9653 et 9654.

vantur, Superior campestris provinciae libros parochiales recipere, atque eos per triennium a dissoluto corpore computandum ad impertiendas ex iis urgentissimas notitias asservare, elapso autem hoc tempore Apostolico Vicario campestri mittere tenetur *h*). Pariter Superioratus campestris, si tempore belli de impertiendis baptizatorum, copulatorm et mortuorum testimoniis, ex relictis protocollis legionis agitur, petita documenta parti postulanti, quae eum adire debet, sine scrupulo perscribere obligatur *i*). Denique Superioratus campestris perscribendorum baptismi, copulacionis et funeris documentorum de pertinentibus ad militiam vagam personis, quae a parochis civilibus baptizatae, matrimonio junctae, vel sepultae sunt, si eadem primo post traditos Superioratui campestri per istos parochos indices petantur, curam gerere tenetur *k*).

§. 36.

*Salarium et remuneratio superiorum campestrium.*

In constituendo pro Superioribus campestribus salario discrimin inter regulares et seculares sacerdotes faciendum est, illique minori; quam hi, summa contenti esse debent *a*). In conferendis vacantibus Canonicatibus penes cathedrales provinciae ecclesias Superiorum campestrium praecipua ceteris paribus habenda est ratio *b*).

---

*h*) H. K. Rs. V. 6 Febr. 1810, 16 Dec. 1815 ap. Hüb<sup>l</sup>. §. 9657. — *i*) H. K. Rs. V. 8 Oct. 1810 ap. Hubl. §. 9655. —

*k*) 19 Mai 1808 §. 4.

*a*) 25 Aug. 1775. — *b*) 4 et 23 Apr. 1789.

§. 37.

*Proprietates futurorum capellanorum castrorum.*

A Sacerdotibus, qui ad capellaniae castrenses praesentantur, leges nostrae sequentes requirunt proprietates: necessarias cuique Sacerdoti scientias seu ecclesiasticam eruditionem, firmum sannumque corporis habitum, et meliorem educationem; a sacerdote regulari aetatem 35 annorum, singularem experientiam, modestiam, zelum et vitam a moribus probatam, perfectam linguae Germanicae notitiam, et pro ratione provinciarum, in quibus legio suos tyrones colligit, Hungaricae, Bohemicae, Polonicae vel Illyricae linguae, Italicae autem et Gallicae linguae saltim tantam cognitionem, ut in casu necessitatis confessionem audire, intelligereque possint  $\alpha$ ).

§. 38.

*Succrementum, et institutio capellanorum campestrium.*

Initae rationes educandi, succrementum capellanorum castrensum atque modi eos instituendi diversis temporibus diversi fuere. Initio in presbyteriis aliquot juvenes clerici ad munus capellanorum campestrium educandi erant  $\alpha$ ). Mox vero conclusum fuit, ut imposterum nonnisi regulares constituantur capellani castrenses, atque ut

---

$\alpha$ ) 25 Aug. 1775. 4 et 23 Apr. 13 et 26 Mai 1789. 30 Apr. 1805.  
— Dienstreglement für die k. k. Infanterie bekannt gemacht  
durch Armeebefehl 1 Sep. 1807 apud Schwerding 4. T. p.  
69 —

$\alpha$ ) 4 Dec. 1773. —

ordines religiosi semper ad legiones idoneos sacerdotes praesentent *b*). Josepho II. imperante capellani castrenses stipendiis donati in generalibus Seminariis excolebantur *c*); dissolutis his item in presbyteriis episcopalibus formandi fuerant *d*). Superioribus castrensibus competebat jus individua, ad Seminaria vel Presbyteria educationis causa mittenda, eligendi *e*), proprietariis vero legionum jus eadem ad capellanias campestres praesentandi *f*). Ast isthoc proprietariis legionum hactenus competens jus praesentandi capellanos campestres modo in episcopum ejus dioeceseos, ex qua legio tyrones accipit, transferri placuit. Iste habilia ex seculari vel regulari suae dioeceseos clero individua ad hoc munus seligere potest *g*). Tantum presbyteri scholarum piarum sub quo-cunque praetextu qua capellani castrenses avocari et acceptari nequeunt; nam hoc tam spiritui instituti scholarum piarum, cuius praecipua destinatio est informatio juventutis in seholis publicis, quam altissimae intentioni communitates religiosas, quantum possibile, in primaevu statu conservandi adversatur *h*). Si quae igitur legio capellano castrensi indigeat, Superiorem castrensem provinciae, ad quam pertinet, iste vero episcopum dioecesanum pro obtinendo requisitis qualitatibus praedito capellano campestri adeat. Hac ratione obvenientes in presentatione episcopi difficultates modo amicabili componi possunt *i*). In casu, quo Ordinariatus Austriae inferioris et superioris pro legionibus, in Galicia subsidiarios colligendo-

---

*b*) 25 Aug. 1775. — *c*) 4 et 23 Apr., 13. 26 Mai 1789. —

*d*) 29 Mart. 1791 *e*) 4 et 23 Apr. 26 Mai 1789, 26 Mart. 1791 —

*f*) 26 Aug. 1775 — *g*) 30 Apr. 1805 — *h*) Hkzlddecr. 17 Feb. 1806. *i*) H. K. D. 7 Mart. 1806. d.

rum tyronum districtus habentibus, nullum ex suo seculari vel regulari clero Polonicae vel saltem Bohemicae linguae gnarum individuum reperiunt: episcopi Galiciani, in quorum dioecesibus districtus colligendorum tyronum subsidiarii jacent, pertente Apostolico vicario castrensi linguae Germanicae et Polonicae perfecte gnarum, ad officium militaris animarum curae aptum, ac bonae moralitatis secularem vel regularem Sacerdotem praesentent<sup>k)</sup>

§. 39.

*Salarium capellanorum castrensium.*

Suum salarium capellani campestres percipiunt ex Aerario militari seu cassa bellica <sup>a)</sup>). Recentioribus temporibus cum decrescente valore pecuniae chartaceae salario quoque diminuerentur, capellani castrensis pro diversitate provinciarum subsidium 150 fl. vel 100 fl. ex fundo religionis cuiusvis provinciae cum obligatione 50 aut 25 missas in gratiam fundi religionis, ex quo hoc augmentum accipiebant, annue gratis persolvendi concessum fuit <sup>b)</sup>). Ast cum capellani castrenses una cum suis legionibus in provinciis, in quibus salarium in pecunia metallica percipiebant, consistentes ad subsidium ex fundo religionis nullum jus habuerint, proinde etiam a persolvendis cum hoc subsidio conjunctis missarum Sacrificiis liberi declarati fuerint <sup>c)</sup>: modo hoc subsidium atque connexa obligatio gratuita persolvendarum pro fundo religionis missarum penitus cessasse videtur, quia nunc capellani castrenses in omnibus

---

<sup>k)</sup> 30 Apr. 1805. —

<sup>a)</sup> 25 Aug. 1775. — <sup>b)</sup> 30 Apr. 1805, 7 Mart. 1806, 27 Febr. 1819 — <sup>c)</sup> 3 Apr. 1817.

provinciis suum salarium in moneta metallica percipiunt.

§. 40.

*Obligationes capellanorum castrorum.*

Ad praecipuas capellani castrensis obligationes spectat, ut

1º Aegrotos et vulneratos solerter invisat, eos consoletur, iisque decenti zelo atque opportune omnia spiritualia remedia subministret. Quare tempore pugnae eum hoste in vicinia legionis morari debet, ut vulneratis et morituris consolationem et absolutionem impertiri possit. Si malefici ad mortem condemnentur, post promulgatam sententiam eos ad mortem praeparare, ad locum supplicii comitari, atque iis usque vitae finem spirituale solamen praebere tenetur. Si sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ad aegrotum vel vulneratum seu in praesidiis seu in castris deportetur, semper praescriptam militarem comitativam petere debet.

2º Antequam jejunium quadragesimae incipiat, capellanus campestris Superiorem castrensem de modo, quo se gerere oporteat, consulere eique ob hanc causam charitatem alimentorum, statum provinciae, ac dominantes in ea morbos diligenti relatione proponere obligatur.

3º Tempore paschali milites de confessione et communione in suis sacris sermonibus commoneat, atque hoc pietatis officium non adimplentes praefecto legionis seu cohortis denunciet.

4º Si fieri possit, praesertim in regionibus, ubi nullae scholae sunt, nec non occasione exercitorum pietatis paschalium capellanus castrensis

cōetur proles militum in maxime necessariis christianaē fidei capitibus erudire.

5º Omnibus dominicis et festis diebus brevem, stringentem, statui et officiis boni christiani militis congruum habeat sermonem sacrum, eaque officia saepius in forma doctrinae christianaē explicet, ut homines in vera cognitione Dei, et necessariis religionis principiis informentur.

6º Sacrificium missae omni die celebret. Si diebus dominicis et festis omnes milites simul officio sacro interesse nequeant, atque ad id alia occasio non suppeteret, vi sui privilegii duas etiam Missas celebrare potest: ast in signum officii divini propria auctoritate nunquam tympanum pulsari faciat, quia hoc a mandato praefecti militaris dependet.

7º Sine dato in scriptis a legionis praefecto consensu sub gravissima poena neminem matrimonio jungat.

8º Capellanus castrensis pie, modeste, et patienter integrae legioni insignis in omni vita moralitatis exemplo praeluceat, nec se in qualecunque negotium immisceat, quod eum non attinet.

9º Spirituales exhortationes ad faeminas quoque dissolutae vitae legionem comitantes adplicet, et quam noxia ac indecora sint ejusmodi scandala, cum decenti modestia ob oculos ponat.

10º Omnia mandata, quae capellanus castrensis a Superiore campestri accipit, ante executionem praefecto legionis communicet.

11. Si quidquam proponere velit, novissimum officiale stabalem adeat. Eodem modo etiam ordinariis relationum diebus se gerat. Con-

secretum mandatum mediante custode carcerum legio-  
nis accipit a).

§. 41.

*Speciatim in conscribendis parochialibus  
protocollis.*

Imprimis capellanus 1º protocollorum parochialium magnam habeat curam, in queis omnes contingentes mutationes quoad baptismum, transiitum ad aliam religionem, matrimonia, mortem naturalem et suppicia adjecto nomine, die, anno, et loco adnotandae sunt a). Quare tyronum ad legionem venientium, et prolium, si quas habent tyrones, litteras baptismales et matrimoniales inspiciat, et si hae desint, rem legioni notificet, ut haec, si necesse fuerit, sibi eas procurare possit b). Pro baptizatorum, copulatorum, et mortuorum protocollis formularia praescripta sunt. Contentae in quolibet protocollo rubricae a capellano castrensi accurate explendae sunt. Ultima columna pro adnotationibus reservatur, in qua praeprimis quoad matrimonia adnotari debet, omnia legalia requisita ad id ineundum adfuisse.

2º Cuilibet horum protocollorum parochialium alterum ejusdem exemplar (duplum) cum sufficienti per integrum annum paginarum numero adjungendum est, ut in utrumque cuncti parochiales actus aequaliter referri possint; utrique exemplari etiam adjungendi sunt actus parochiales per civiles animarum curatores aut alios subsidiarios

a) Dienstreglement für die Infanterie; H. K. Rs. v. 1 Sep. 1807. ap. Schwerding T. 4. p. 69. et ap. Hübler mil. Öc. Syst. T. 9. §. 9667 — 9677, 9673 — 9676, 9684 et 9685.

•) Armeebefehl 1 Sept. 1807. ap. Schwerding T. 4. p. 69. H. D. v. 1 Jun. 1784. — b) Hübler T. 9. §. 9672.

Sacerdotes respectu militarium personarum suscepti et capellano castrensi significati; duplicatum per auditorem causarum militarium, aut alium militarem praefectum quoad suam cum alio protocollo identitatem confirmandum, atque, si omne quod integro anno contigerat, contineat, per praefecturam legionis C. R. bellieo consistorio Viennammittendum est. Praeterea notandum, semper aliquid spatii relinquendum esse, ut per novas investigationes defectus suppleri, et deficientes fors notitiae inseri possint.

3º Ut conspectus de conditione protocolorum parochialium obtineatur, quisque capellanus castrensis una cum annuis summaris copulatorum, baptizatorum, et mortuorum indicibus, qui eodem, quo a parochis civilibus, conficiuntur modo, etiam relationem de statu suorum parochialium librorum Superiori campestri faciat, in qua solerter exponi debet, quot protocolla adsint, quo anno incipiunt; an cum origine legionis vel cohortis pari passu procedant, ad quod tempus pertingant, et quomodo incolumitas eorum, custodia, et integritas se habeat c).

4º Erumpente bello quisque capellanus castrensis destinatae ad castra sequenda cohortis omnes suos libros parochiales sine exceptione cum scripto manu propria indice eorumdem Superiori campestri ejus provinciae, a qua ad curam animalium praesentatus erat, in custodiam tradere debet d).

5º De evenientibus in bello baptismi, copulationis et mortis casibus capellani castrenses

c) Hübner §. 9677 juxta edicta consilii aulico - bellici 9 Jun. 1806, 13 Jul. 1808, 17 Dec. 1813, 27 Oct. 1815. — d) Hübl. §. 9678 juxta edicta Cons. bell. 3 Oct. 1810, 3 Nov. 1813, 27 Oct. 1815.

nova protocolla conscribere, atque ut et haec ab interitu, quantum fieri potest, vindicentur, ex iis de mense in mensem confectum manu propria et subscriptum extractum facere, et cum fragmentis rationum legionis ad depositariam rerum militarium praefecturam transmittere debent, quae eundem illico proximo Superiori castrensi reponendum et cum relictis protocollis conservandum transmittat, ut quivis capellanus castrensis conclusa pace omnes durante bello evenientes baptissimi, matrimonii, et mortis casus in protocolla, quae adsunt, fideliter transcribere possit e).

6º Si quaedam legio vel cohors dissolvatur, ejusdem capellanus castrensis omnia protocolla parochialia commissioni dissolutoriae tradere debet, quae competenti Superiori castrensi eadem transmittet, ubi per tres a facta dissolutione annos ad impertiendas interrogantibus urgentissimas noticias eonservanda, et evoluto hoc tempore Vicariatu Apostolico castrensi tradenda erunt f).

### §. 42.

*Quomodo capellani castrenses de susceptis per civilem clerum relate ad militares personas actibus parochialibus certiores reddantur.*

Ut capellani castrenses baptizatas, copulatas et sepultas a Sacerdotibus civilibus personas status militaris rescire, et summarios indices explere possint, quos elapso quovis anno mediante supra armorum provinciali praefectura politico provinciae dicasterio pro conficienda totali Summa

---

e) Hübl. §. 9679. H. K. Rs. v. 8 Oct. 1810. — f) H. K. Rs. v. 6 Febr. 1810. 10 Dec. 1815. ap. Hübl. §. 9680.

tradere tenentur *a*), initio constitutum erat, ut omnes curati civiles Sacerdotes quamvis per ipsos baptizatam, copulatam, et sepultam personam militarem non solum in suos parochiales indices referant, sed etiam competenti capellano castrensi diligenter significant, et hoc quidem cum indicatione paginae, qua eas suo protocollo inscripserint, ut exerto fors dubio ibidem investigari possit *b*). Mox autem conclusum fuit, ut ad obtinendum praedictum finem parochi occasione submitendi sub finem anni cuiusvis protocollorum extractus, etiam singularem baptizatarum, copulatarum et mortuarum in sua parochia personarum militarium indicem praefecturae circuli exhibere, vel consistorio dioecesano mittere teneantur; ab hoc autem collecti indices statim Superiori castrensi, et per hunc respectivis legionibus transmittantur *c*). Nunc sub finem cuiusvis anni omnes durante anno in civilibus parochiis evenientes baptismi, matrimonii et mortis casus personarum seu ad vagam seu stabilem militiam pertinentium monstrato (supra §. 35) modo ad superiorem campestrem perveniunt, a quo dein facilem ad respectivos capellanos castrenses ineunt viam *d*). Civiles tamen parochi in transmittendis his indicibus casus nativitatis, matrimonii et obitus, qui singulas suo nomine designandas legiones, cohortes, vel militiae provincialis bataliones concernunt, in separato folio perscrivant, quia scopus bene ordinatas, et completas reddendi militares matriculas obtineri non potest, si nativitatis matrimonii et mortis casus individuorum, ad diversas legiones et cohortes pertinentium, in unicum folium conjici-

---

*a)* 1 Jun. 3 Jul. 1784. — *b)* 30 Aug. 6 Sept. 1784. H. Kz.  
D. 21 Jul. 1808. — *c)* 6 Dec. 1784. — *d)* N. O. Rgs. Vdg.  
10 Mart. 1804. 22 Jan. 1813. 19 Mai, 16 Jun. 18 Sept. 1808.

antur, aut in militia provinciali nomina diversarum batalionum expresse non indicentur e).

§. 43.

*Jus capellanorum castrenium de baptismo, matrimonio et morte testimonia scripta dandi.*

Cum capellani eastrenses protocolla baptizatarum, copulatarum, et mortuarum personarum militarium conscribendi jus habeant: pariter illis jus competit, pro iis et de iis litteras testimoniales edendi. Attamen ad praepediendas fraudes, ne sub nomine cujusdam capellani castrensis vel ejus vicarii testimonium mortis falsum edatur, omnia tam a capellano quam Superiori campestri de militaribus personis confecta mortis testimonia per legionis, batalionis, vel cohortis praefectum militarem, aut per supremam in provincia armorum praefecturam, et in militaribus nosocomiis a nulla legione dependentibus per praefectum nosocomii militarem simul subscribi debent, fidem manu propria faciendo, quod subscriptus capellanus castrensis, vel ei substitutus, aut Superior campestris jure dandi de morte testimonii gaudeat, et quod istud reipsa ab eo datum et scriptum sit. Huic legalisationi, quae semper ex officio, itaque gratis fieri debet, omni tempore legionis vel cohortis sigillum, et respectu superiorum campestrium sigillum supremae armorum praefecturae provincialis, durante autem bello in nosocomiis bellicis quodpiam Caesarea insigne aquila sigillum apprimendum est a).

---

e) Gblvdg. in Boh. 6 Mart. 1815.

a) Gblvdg. in Boh. 1. Oct. 1791. Rgsvdg. 18 Jun. 1797.

§. 44.

*Charta signata pro baptismo, matrimonii et mortis testimoniiis quoad militares personas.*

Edita a capellaniis castrenibus de baptismo, matrimonio et morte gregariorum militum testimonia sunt a charta signata immunia, quamdiu solum in usum legionis destinata sunt *a*). Econtra haec documenta a charta signata non sunt exenta, si milites vel officiales ea ad usus recipiant, qui cum illorum officio nullum nexum habent *b*). Pariter taxa chartae signatae in baptismo, matrimonii et mortis testimoniiis solvi debet, si haec talibus personis dentur, quae non amplius ad legionem pertinent *c*); ergo eo magis, si individuis danda sint, quae nunquam ad legionem pertinuerunt. Attamen memorata documenta pro talibus personis a capellano castrensi sine charta signata scribi possunt; debent vero supremae armorum praefecturae ejus provinciae, in qua imperantes degunt, et ab hac praefectura Gubernio provinciae submitti, quod curam gerat, ut taxa chartae signatae 6 kr. a partibus persolva'ur. Pari modo procedendum est, si testimonia praedicta a legionibus extra imperium aut in provincia tali, in qua usus chartae signatae non viget, jacentibus pro partibus ex provincia, ubi jus chartae signatae obtinet, edenda sint. Si vero partes testimonium postulantes in Hungaria, Transsylvania, vel in aliis ditionibus haereditariis, ubi jus chartae signatae non est introductum, habitant, aut si hae par-

---

*a)* 5 Oct. 1802 §. 10. h — *b)* ibid §. 13. a. — *c)* 15 Jan.  
1785.

tes ad Hungaricas nationales legiones pertineant, talia testimonia sub omni respectu absque charta signata expedienda sunt d).

§. 45.

*Jus stolae capellanorum castrenium.*

Capellani et Superiores castrenses percipiunt jura stolae secundum edictum stolare militare, quod saepius vulgatum a) est; ast solum officiales attinet, nam magistri excubiarum apud pedites ac apud equites, ceterique infra hos positi nullam stolam solvere obligantur. Quoad Generales et officiales stabales, atque eorum liberos usque 13um annum baptismi, matrimonii, et funeris taxae illorum munificentiae relictæ sunt. Centurio vel magister equitum pro baptismo 1 fl., pro copulatione 2 aureos, pro suo funere 12 fl., pro funere suae prolis usque 13 annum 6 fl., reliqui superiores officiales pro iisdem functionibus sacris 1 fl., 1 aureum, 6 fl. et 4 fl. solvere debent. Si officialis in proelio occumbat, ubi more solito non sepelitur, capellanus castrensis nullam stolam praetendere potest, quia haec ei non ratione obitus sed ob funus solempne competit. Si haereditates centurionum, magistrorum equitum, locumtenentium, et signiferorum ad stabilitas taxas persolven das non sufficient, capellani castrenses etiam minori pro ratione adjunctorum et aequitatis determinanda summa contenti esse debent \*). Illi itaque tunc solum determinatam in edicto de stola militari taxam petendi jus habent, si ea absque

d) H. Kmrdecr. v. 22. Dec. 1803.

a) 6 Apr. 1754, 20 Jan 1783. Rgsvdg. ob Enns 18 Jun. 1797.

H. R. R. Vgen 19 Jan. 1754, 7 Aug 1793, 5 Oct 1808.

3 Aug. 1811, ap. Hubler §. 9818. p. 149. — \*) Hübler §. 9818 T. 9.

minimo gravamine partium persolvi possit. Pro baptismi, matrimonii et mortis testimoniis pariter ab omnibus egenis personis sine discrimine dignitatis nihil exigī potest. Reliquae civili hominum classi aequiparandae personae militares praeter chartam signatam, adhuc 30 kr., nobiles praeter chartam, 1 floreni taxam *b)* pro ejusmodi testimonio scripto solvunt. Supra permissam sibi taxam capellanus castrensis a nemine majorem, ab egenis vero plane nullam exigere potest *c)*. Desumta stolaris taxa in omnibus testimoniis, quae eduntur, exterius per capellanos castrenses et iis substitutos manu propria annotari dehet *d)*. In casibus, ubi propter defectum ecclesiae praesidiariae Superior campestris vel capellanus castrensis in civili ecclesia parochiali, in cuius districtu assignata suae jurisdictioni militaria individua habitant, functiones sacras baptismi, copulationis, provisionis aegrotorum, et benedictionis mortuorum peragit, ipse solum et non civilis parochus vel famulus ecclesiae propterea taxas stolares potest praetendere *e)*.

### §. 46.

#### *Alia capellanorum castrensium jura.*

Capellani castrenses jure postulant, ut officiales et gregarii ipsis condignam suo statui et muneri reverentiam exhibeant, atque in officii functionibus non impedimento, sed potius adjumento ipsis sint *a)*. Castrenses capellani in omnibus

*b)* Milit. stol. ord. 20 Jan. 1783 — *c)* Dienstreglement für die Infanterie 1 Sept. 1807 — *d)* Rgsvdg. ob-Enns 18 Jun. 1797. — *e)* H. Rz. De. 19 Mai. 15 Sept. 1808. §. 3. d. N. Oe. Rgsvdg. 31 Jan. 1805. HD. 19 Nov. 1763.

*a)* H. R. Rb. V. 19 Jan. 1754 ap. Hubl. §. 9666.

praevericationibus et transgressionibus legum, quae vera crimina non sunt, altamen aliquam castigationem vel correctionem merentur, jurisdictioni legionis non sunt subjecti, sed tam in his quam disciplinaribus objectis jurisdictioni Apostolici vicarii campestris subsunt. Ast respectu bonorum mobilium pertinent ad jurisdictionem militarem, apud legionis tribunal ob debita conveniri et retentione salarii alteriusve redditus ad praestandum, quod debent, cogi possunt. Post eorum mortem haereditas in legionis tribunali regulatur. Olim capellanus castrensis, etiamsi fuerit religsus, de suis in sic dicto peculio quasi castrensi consistentibus bonis libere disponere, et testamentum condere potuit *b)*; nunc vero nulli religioso, quamdiu in nexu ordinis et suis votis obstrictus manet, testari concessum est *c)*. Hinc haereditas capellani castrensis, qui regularis est, suo ordini obtingit *d)*. Si capellanus castrensis de seculari clero sine testamento decebat, ejus haereditas ad proximos consangvineos devolvitur; his deficien- tibus autem ad fundum invalidorum *e)*. In tabel- lis menstruis capellanus castrensis post secundum superiorem excubiarum praefectum recensetur, loco eodem cum rationario peditatus *f)* gaudet, atque militaria in pileo insignia honoris gestat *g)*.

---

*b)* H. K. Rs. V. 25 Jul. 1799 ap. Hübl. §. 9682. Dienstreglement für k. k. Infanterie 1 Sept. 1807. — *c)* A. H. Hand- schreiben 5 Jul. 1817, a. h. Entschl. 1 Apr. 1818 — *d)* 4 Jan. 1787 — *e)* H. K. Rs. V. 20 Apr. 1779, 9 Jul. 1793 ap. Hübl. §. 9683. — *f)* Dienstreglement 1 Sept. 1807 ap. Hübl. §. 9684. — *g)* H. K. Rs. V. 19 Oct. 1811 ap. Hübl. §. 9687.

§. 47.

*Jus concurrendi pro beneficiis parochialibus.*

Capellanis castrenibus transacti in cura animarum militari anni in singulare meritum imputandi sunt adeo, ut, si ii suum munus 10 vel 15 annis obiverint, praecipuum jus habeant concurrendi pro parochiis Caesareis *a*); imprimis illi capellani castrenses, qui meritorum cruce vel honoris numismate ornati sunt, commendantur *b*). Nam cum capellani castrenses ad curam animarum militarem aequae necessarii sint, ac constituti in civili animarum cura clerici, cum tam isti quam illi, si suae vocationis officia fideliter, zelose, et cum sperato emolumento adimpleant, de republica et ecclesia pari modo mereantur, proinde idem jus ad promotiones habeant: summa exigit aequitas, ut ordinarius in proponendis candidatis, quibus conferenda essent beneficia Caesarea, competentium capellanorum castrenium debitam habeant rationem, atque eos intuitu annorum servitii et aliorum per testimonia legitime comprobatorum meritorum, et ceterarum proprietatum suis dioecesanis curatis aequiparent, et quidem eo magis, quod capellani castrenses nullo alio modo, quam per collationem parochiae in sua originaria vel alia aliqua dioecesi promotionis spem habere possint *c*). Attamen capellani castrenses a generatim praescripto pro obtainendis curatis beneficiis concursuali examine nequaquam sunt exempti, sed hac in re civilibus animarum curatoribus pares haben-

---

*a)* H. D. 4, 23 Apr. 1789, 29 Mart. 1791 — *b)* 11 Dec. 1801

*c)* 23 Febr. 1805.

di, nam constitutio, qua capellanis castrensis post decennalia in exercitu bene praestita servitia praecepitum jus ad beneficia Caesarea in provinciis promittitur, concursus examen non excludit, sed tanquam generalem normam supponit d). Quare capellorum castrensis, qui pro aliquo beneficio instant, officium est, vigentes generales de concursu editas leges ob oculos habere, et secundum eas vacante aliquo beneficio, quod obtinere cupiunt, apud respectivum ordinariatum intra determinatum tempus legitime se insinuare, lege praescriptum facti, per sex annos validi, concursualis examinis successum, item studia, notiliae lingvarum, annos servitii, mores et zelum in obeundo suo munere testimoniis comprobare, et generatim Ordinariatu omne id exhibere, quod ad justam de ipsorum et aliorum competitorum meritis comparationem instituendam, et judicium ferendum, atque ad explendas in competitorum tabella praescriptas columnas (rubricas) necessarium est. Si sint religiosi alicujus ordinis, insuper probare debent, se de numero constitutorum jam ante 25am Martii 1802 ex regularibus capellorum castrensis esse, atque secularizationem reipsa obtinuisse e). Nam solum existentibus ante praedictum tempus in cura animarum militari Religiosis, nequaquam vero postea ad eam applicatis, vel applicandis jus datum est regressui ad monasterium renunciandi, et suos episcopos dioecesanos pro impetranda secularizatione adeundi. Tantum hi pro secularibus beneficiis proponi, et secundum mensuram suorum meritorum ad ea promoveri possunt f).

---

d) 16 Nov. 1804. — e) 23 Febr. 1805. — f) 15 Oct. 29  
Oct. 1803, 23 Febr. 1805.

§. 48.

*Remunerations capellanorum castrenium.*

Illis religiosis, qui sine interruptione per 15 annos utilia capellani castrensis servitia praestiterunt, et elapso hoc tempore ad suum ordinem redire volunt, aut qui sibi per ipsas officii functiones jam prius aliquem defectum et inhabilitatem ad ulteriora servitia conciverunt, consequenter absque sua culpa praefixos 15 annos completere nequeunt, remuneratio annua 100 fl. concessa est, ipsis pro sua dispositione in manus proprias ab aerario militari tradenda, et a Superioribus ordinis neque adimenda nec imminuenda. Secularibus vero capellanis campestribus, si per 15 annos in aliqua legione bene serviverint, et resignare velint, aut si propter aliquam in obeundo muncre contractam inhabilitatem officio decedere debeant, pensio annua 150 fl. vita comite ex militari aerario promissa est a). Sacerdotes castrenses, in bello singularibus meritis sibi partis excellentes, si haec merita, connexam cum periculo officii adimpletionem in cura animarum respiciant, aurea vel argentea meritorum cruce cum inscriptione, piis meritis; si vero in mere militaribus e. g. in ducentis et animandis ad praelium militibus constant, introductis apud exercitum aureis et argenteis numismatibus memorialibus, quibus milites honorari solent, in remunerationem condecorantur. Haec ornamenta ex distinctis lineatim albo et rubro colore fasciis pendula gestantur; sed temporalia emolumenta adnexa non habent b).

---

a) 25 Aug. 1775 — b) 11 Dec. 1801.

§. 49.

*Gravamina contra capellanos castrenses,  
dissimilis, et abitus eorum.*

Si legio graves, ob quas cum suo capellano castrensi contenta esse non possit, habeat causas, istae supremae provinciali armorum praefecturae ad facientes ulteriores dispositiones referri debent, quae facta inquisitione decisionem superioratus campestris legioni significabit *a*). Si quae legio sacerdotem dimittere, et alium ejus loco habere desiderat, de hoc semper competens Superioratus campestris certior reddendus est *b*); sed hic rem solus per se decidere nequit, quia, si de removendo a suo munere indigno capellano agatur, id ad potestatem Apostolici vicariatus campestris pertinet *c*). Dismissus capellanus castrensis militaria honoris insignia de pileo deponere debet, quia haec tanquam signum militaris servitii considerantur, quod cum abitu e cura animarum militari penitus cessat *d*). Regulares Sacerdotes munus castrensis capellani primo post 25am Martii adepti, et imposterum adepturi ad sua monasteria reverti tenentur, sive sponte sua ab officio discedant, sive ob physicos, aut morales defectus ad abeendum cogantur *e*). Ordinibus religiosis obligatio incumbit ea membra, quae senectutis vel defectuum causa curae animarum apud legiones amplius praeesse nequeunt, in suum gremium recipiendi, iisque bene prospiciendi. Illis religiosis, qui per 15 annos qua capellani castrenses in le-

---

*a)* H. K. Rs. V. 8 Jul. 1775 ap. Hübler §. 9686. — *b)* 25

Aug. 1775 — *c)* Hübler T. 9. §. 9644. — *d)* H. K. Rs.

V. 9. Oct. 1811 ap. Hübler §. 9687 — *e)* H. Kzldcr. 29 Oct.

1803.

gione, vel in militari nosocomio utilia servitia praestiterunt, aut ante illos completos per ipsas muneris functiones quodpiam vitium vel inhabilitatem ulterius obeundi officii sibi conciverunt, in suo ad ordinem regressu eadem prooedria competit, qua ex statutis ordinis patres, emeriti, jubilati etc. gaudent f).

§. 50.

*Capellani praesidiarii.*

In illis arcibus, praesidiis, et communibus militum domiciliis, ubi nullius legionis sedes praefecturalis consistit, et ubi nulla monasteria praesto sunt, quorum sacerdotes militarem animarum curam gererent, proprii capellani praesidiarii constituunt a). Horum officia cum obligationibus capellanorum campestrium quoad summa capita convenient. Idem valet de eorum jurisdictione b). Tantum illud, quod ad speciale servitium in bello refertur, apud eos suapte natura locum habere nequit.

§. 51.

*Capellani nosocomiorum.*

In quovis praesidiario, aut campestri nosocomio proprii sacerdotes ad gerendam animarum curam constituti sunt a), qui capellani nosocomiales dicuntur. Si hi propter grandem aegrorum copiam non sufficient, existentes in ipso loco aut

---

f) 25 Aug. 1775 —

a) H. R. Rs. V. 15 Mai 1801 Hübler §. 9698 — b) H. R.  
Rs. V. 27 Jan. 1778 Hübl. §. 9699.

a) H. R. Rs. V. 26 Apr. 1815 Hübl. §. 9691.

in ejus vicinia sacerdotes regulares ad gratuitum  
in nosocomio subsidium praestandum obligantur,  
in quem finem ipsis jurisdictione a clero militari  
concedi debet b). Hinc Praepositi ordinum suos  
religiosos, quos ad nosocomia militaria mittunt,  
monere debent, ut proximum superiorem campe-  
strem adeant, et ab eo necessariam potestatem  
spiritualem, nec non pro hoc munere instructio-  
nem sibi expetant c). Officia capellani nosoco-  
mialis non tantum in administrandis Sacramentis,  
sed etiam in eo consistunt, ut aegrotis et vulne-  
ratis dolores per consolatorias adhortationes, et  
per expositam gravitatem eorum officiorum, in  
quibus adimplendis ipsi hunc in statum devene-  
runt, leniores reddantur. Eapropter quotidie  
conclavia aegrorum visitare, et aegrotis, qui ejus  
consolatione egent, hanc debet impertiri. Immo  
quoties aegrotus desiderat, aut per chyrurgum de  
periculo mortis alicujus aegroti certior redditur,  
hoc ipsum diu noctuve facere tenetur. Pertinaces,  
qui praescriptae operationi se subjicere nolunt,  
efficaciter ad eam tolerandam hortetur, praecipue  
si aegrotus ad operationem subeundam persva-  
dendus est, quae ipsius vitam periculo exponit,  
et sine qua invalidus et inhabilis ad servitium eva-  
deret. Omnibus dominicis et festis diebus in eccle-  
sia nosocomii aut destinata ad id capella, praefixa  
per praefectum nosocomii hora, missam celebrare  
tenetur, cui omnia individua inde a praefecto no-  
socomii usque ad infimos subordinatos, exceptis,  
qui ipsa hac hora aegrotis inserviunt, sacrificio  
intersint d). Insuper capellano nosocomiali injun-

b) H. K. Rs. v. 8 Jul. 1775. Hübl. §. 9692. 25 Aug. 1775.

— c) 19 Nov. 1778. — d) H. K. Rs. v. 26 Apr. 1815. Hübl.  
§. 9694.

ctum est, testimonia de mortuis scripta edere, numerum mortuorum, item in nosocomiis natorum et copulatorum fideliter in protocolla referre, ut suborta quaestione illico notitia impertiri, et simul desuper Superiori campestri vera relatio exhiberi possit e). Ablegandos ad curam nosocomiorum campestrium religiosos sui Superiores serio edoceant, quod defunctorum accurata et indubia protocolla scribere, illaque, cum discesserint, suo successori porro continuanda tradere debeant, ut viduabus, prolibus, aliisque familiaibus suo tempore petita testimonia de morte conjugum, patrum, aut familiarium dari possint f). Occasione dissolvendi nosocomii capellanus ejusdem in tradendis protocollis supradictis eo modo se gerat, qui capellanis castrensisbus praescriptus est g). Interiori nosocomii campestris ordinationi non se immisceat sacerdos. A praefecto nosocomii eatenus tantum dependet, quatenus officia sui status exigunt. Si haec negligat, praefecto nosocomii incumbit id ad superiores deferre h). Capellani nosocomiales post 15 annos utiliter in servitio exactos, aut enata prius in exequendis munericis partibus inhabilitate aequae, ac campestres capellani, si regulares sunt, pensionem 100 fl.; si seculares, 150 florenorum exspectare possunt i).

---

e) H. K. Rs. v. 1 Sept. 1807. Hübl. §. 9695. — f) 19 Nov. 1778. — g) H. K. Rs. v. 6 Febr. 1810, 10 Dec. 1815. Hübl. §. 9696. — h) H. K. Rs. V. 26 Apr. 1815. Hübl. §. 9695. — i) 25 Aug. 1775.

§. 52.

*Historia sensim stabilitae relationis inter civilem et militarem clerum quoad jurisdictionem.*

Sab initium hoc principium statutum fuisse videtur: omnes ad militiam vagam pertinentes i. e. ad vagas belli operationes destinatae militares personae in administratione Sacramentorum, aliisque spiritualem jurisdictionem respicientibus actibus militari clero; ad stabilem vero militiam adnumerata i. e. stabilem sedem habentia individua militaria civili clero subsint. Ast propter perpetuas lites una ex parte inter Apostolicum vicarium campestrem, et dependentes ab eo capellanos castrenses, altera ex parte inter Episcopos et locales parochos, quaenam personae ad militiam vagam et quae ad militiam stabilem pertineant, post aliquod tempus integrum hoc discrimen sublatum, atque index pertinentium ad C. R. exercitum et a Consilio aulico-bellico dependentium personarum et partium promulgatus fuit, quae omnes sine exceptione in rebus spiritualibus jurisdictioni cleri militaris, reliquae autem cunctae jurisdictioni civilis cleri subesse deberent. Ex facile perspicuis causis praecipue contrahendum inter civilem et militarem personam matrimonium conflictibus jurisdictionis ansam dedisse videtur. Quare speciatim decretum legitur, ut, si persona militaris personae civili jungatur matrimonio, actus copulationis a capellano castrensi in praesentia parochi localis peragatur, et jura stolae inter utrumque dividantur a). Supra memoratus index militarium personarum mox per additamenta completus, et

noviter promulgatus fuit b). Pariter supra adducta constitutio, de copulatione militaris sponsi cum sponsa civili, paulo post ita exposita est, ut, cum civilis clerus hactenus in possessione juris in talibus casibus actum copulationis peragendi fuerit, huic mori, si militaris sponsus scriptam a suo tam seculari quam spirituali (militari) Superiore licentiam adferre possit, id porro servetur, attamen in locis, in queis capellanus castrensis praesens est, is copulationi interesse, et jura stolae cum parocho locali dividere debeat c). Cum autem hac ratione nondum finis dissidiis datus fuisset, denuo sed provisorie duntaxat statutum fuit, ut imposterum tantum in eas militares personas, quae immediate mobilibus legionibus accensentur, a militari clero jurisdictio spiritualis exerceatur; omnes e contra reliquae militares personae, cujuscunque sint generis, civili clero in subsidium relinquantur, idemque de dislocatis quoque legionibus in casu, quo capellanus castrensis facile praesens esse nequit, intelligatur; attamen civilibus parochis in talibus casibus copulatio militaris sponsi cum sponsa civili sine praevio legionis et ejus capellani consensu nequaquam licita, atque iis in administratione Sacramentorum aliarumque sacrarum functionum exactio jurium stolarium solum juxta ordinationem stolae militarem concessa sit d). Nihilominus ob matrimonia et funera post aliquot annos ortae erant iterum dissensiones, ad quas removendas decretum fuit, ut capellanis castrenibus in administratione Sacramentorum, funeribus, aliisque ipsis competentibus functionibus respectu collocatae in communibus aedibus militiae, a parochis localibus nulla impe-

---

b) 21 Oct. 1752. — c) 7 Apr. 1753. — d) 6 Apr. 1754.

dimenta ponantur, sepultura in coemeteriis non interdicatur, et ob istam nulla taxa, quae alioquin capellano castrensi solvi debet, exigatur, quia haec secus bis dependi deberet e). Ubi postmodum in militiae novae institutiones a priori rerum ordine differentes factae, atque iterum ob spiritualem jurisdictionem dissensiones exortae essent, tandem definitiva jurisdictionis norma edita, huic recensio personarum ad militiam vagam, et consignatio ad stabilem militiam pertinentium adjuncta fuit cum mandato, ut respectu illarum solum capellani castrenses, respectu harum autem locales parochi et hi in subsidium etiam respectu priorum in casu, quo castrensis capellanus facile adesse nequit, spiritualem jurisdictionem in baptismis & matrimoniis, funeribus, et reliquorum Sacramentorum administratione exercendi, ast in casu ultimo locales parochi sponsum militarem cum sponsa civili non secus, quam cum praevio legionis et ejusdem capellani consensu copulandi jure gaudeant, et in administrandis Sacrementis, aliisque functionibus ad legem stolae militarem observandam obligati sint f), Porro exortis querelis declaratum fuit, quod respectu absentium a legione militum pro tempore missionis jurisdictionis spiritualis a capellano castrensi localibus parochis deleganda, et ab his neutiquam nomine proprio exercenda sit g); quod, si in aliquo loco alterius legionis capellanus castrensis adsit, huic praordinario loci parocco jus competit copulationem sponsi militaris cum civili sponsa peragendi h); quod cum pristina domestica militia tormentaria in praesidiariam militiam transmutata sit, conse-

---

e) 30 Apr. 19 Nov. 1763. — f) 26. 28 Jan. 1771. — g) 2 Mart. 1771. — h) 12 Sept. 1772. ap. Schwerding 1 T. p. 150.

quenter formam mobilis praesidiaria loca mutantis militiae induerit, hi praesidiario-tormentarii milites amplius parochis localibus subesse nequeant, sed ad spiritualem jurisdictionem militarem pertineant *i*); quod, si bataliones et centuriae ejusdem legionis in pluribus dissitis locis dislocatae sint, capellanus vero castrensis solum in uno loco commorari possit, quoad reliquas bataliones et centurias in casu, quo parochus localis stativorum vel impeditus, vel non sufficiens esset, vel fors penitus deficeret, a regularibus, si qui ibidem adsint, cura animarum gratis in subsidium administranda sit *k*); quod clerus civilis curatus contingentes proclamationes matrimoniorum, copulationes, baptizationes, et funera omnium ad C. R. militiam vagam pertinentium personarum, antequam tali functioni se ingerat, ad Superiorem campestrem remittere debeat *l*); quod civiles parochi proclamationem militarium personarum in suis parochiis, et quidem, si tantum una pars militari jurisdictioni subsit, in ea parochia, ubi proclamatio propter subjectam militari jurisdictioni partem fieri debet, nomine Superioris campestris gratis peragere, et sine haesitatione concedere debeant, ut hic suis parochianis desiderantibus ex illa parochia, in qua degunt, publice de sacro viatico provideat, funus comitetur, isthic copulationem, et quidem, si sponsa sola parochiali Superioris castrensis jurisdictioni subsit, in parochia sponsae peragat, quin tamen parochus, ecclesia, aut ecclesiae famulus eapropter a militari persona aliam taxam, quam quae hactenus in mortis casu ecclesiae parochiali solvebatur, praetendere pos-

---

*i*) 9 Oct. 1772. — *k*) 25 Aug. 1775. — *l*) N. Ö. Rgsvdg.  
28 Aug. 1798.

sint *m*), tandem quod nullus alter Sacerdos sine consensu castrensis capellani, vel extra casum necessitatis in sacram ejusdem jurisdictionem se ingerere audeat *n*).

§. 53.

*Generalis norma circa relationem, quae nunc inter civilem et militarem clerum quoad jurisdictionem subsistit.*

Ex his constitutionibus sensim ea principia prodiere, et exorto dubio etiam interpretanda sunt, quae nunc circa jurisdictionis relationem inter civilem et militarem clerum vigent. Haec relatio in Decreto cancellariae unitae aulicae, quod ad infer. Austriae gubernium (regimen) 19. Maii, ad reliqua vero provinciarum gubernia 15. Sep. 1808 expeditum est, clare expressa, et in quibusdam punctis proprius adhuc, quam hactenus, definita fuit. Generalis regula haec est: A capellanis castrenibus jurisdictione spiritualis in baptizando, copulando, funeribus et generatim in administratione Sacramentorum quoad pertinentes ad militiam vagam personas militares; a civili autem clero haec jurisdictione respectu militarium ad stabilem militiam spectantium individuorum exercenda est. Cum autem frequentes esse possint casus, ut personae ad militiam vagam spectantes quapiam munieris sacri functione indigeant, quin Superiorem campestrem aut capellanum, cuius jurisdictioni spirituali subsunt, habere queant, in his casibus civilis clerus ad sacros jurisdictionis actus in subsidium militaris cleri exercendos obligatur *a*).

---

*m*) N. Ö. Rgsvdg. 31 Jan. 1805. — *n*) Dienstreglement für die k. k. Infanterie 1 Sept. 1807.

*a*) 19 Mai. 15 Sept. 1808. §. 1. 2.

§. 54.

*Index pertinentium ad militiam vagam personarum.*

Ad tollendum omne dubium, quae militares personae ad militiam vagam, et quae ad militiam stabilem referendae sint, post immutatam C. R. militiae constitutionem supradicto Cancellariae aulicae Decreto duo indices inserti sunt, qui abinde nullam essentiali mutationem subierunt.

Ad militiam vagam pertinent:

- a) In officio campestri, item in consilio aulico-bellico, ad directionem architecturae militaris, rei tormentariae, atque confiniorum constituti Generales.
- b) Stabus Generalis.
- c) Arcium, et urbium praefecti militares cum personis loco destinatis, et praesidiario causarum militarium auditoria.
- d) Universae legiones et cohortes.
- e) Tres C. R. turmae Praetorianae, et aulae caesareae excubiae.
- f) Omnes vestitus militaris commissiones.
- g) Domus candidatorum militiae Neostadiensis, et Academia Architectorum militarium.
- h) Militia praesidiario tormentaria.
- i) Maritima armata militia.
- k) Suprema rei navalis praefectura.
- l) Architectorum, cuniculariorum, fossorum et vectorum militarium cohortes.
- m) Praefectura rei tormentariae.
- n) Fortificationis districtuales directiones.
- o) Bellicae supremarum in provinciis armorum praefecturarum cancellariae.
- p) Directores conscriptionis.
- q) Auditores causarum militarium stabales cum

Aetuariis judiciorum, et stabalibus carcerum custodibus.

- r) Commissariatus bellicus campestris.
- s) Praefectura rei annonariae, et pistores militares.
- t) Officium aerarii bellici, siquidem illud alii cubi cum aerario camerale non sit unitum.
- u) Galiciani colligendorum tyronum districtus.
- v) Divisiones praesidiorum limitaneorum.
- w) Rerum campestrium transportandarum, et tyronum congregandorum praefecturae.
- x) Omnes uxores, proles, et famuli praerecentiorum.
- y) Tandem omnia, erumpente bello in campestribus servitiis, constituenda militaria individua, item personae status civilis in exercitu commorantes tempore belli sacram militaris cleri jurisdictionem agnoscere debent.

§. 55.

*Index pertinentium ad militiam stabilem personarum.*

Ad militiam stabilem referuntur :

- a) Pensione donati, et extra officium positi Generales, etiamsi legionum proprietarii sint.
- b) Omnes pensionati, quiescentes, vel retento officialis charactere officia relinquentes stabales et superiores officiales, militares praefecti et reliqua stabalia membra.
- c) In militaribus appellationis tribunalibus, item
- d) In judiciis delegatis militaribus, vel mixtis constituti ad statum eorum pertinentes officiales, nisi ob alias personales qualitates ad militiam vagam pertineant.

- e) Hungaricae coronae excubitores.
- f) Vigiles (politiae) disciplinae publicae.
- g) Josephina medico - chyrurgica Academia.
- h) Personae instituti veterinarii \*).
- i) Ad militarium medicamentorum administrationem et ad eorumdem depositoria in provinciis constituta pertinentes personae.
- k) Institutum in Herrnals \*\*) pro educandis officialium militarium filiabus.
- l) Personae cudendis armis , fundendis, et perforandis tormentis, ceterisque machinis occupatae.
- m) Invalidi patentales.
- n) Administratores , magistri domorum , atque caupones in aedibus communibus militum habitationi destinatis, vel aliis militaribus aedificiis.
- o) Viduae et pupilli omnium militarium personarum.
- p) Uxores, proles, et famulitum praememoratorum ad militiam stabilem computandorum individuorum.

§. 56.

*Normae pro juribas stolaribus.*

Militares personae, incipiendo a magistro viliarum pedestri aequae ac equestri inclusive descendendo ad gregarios jura stolae solvere nullatenus tenentur; itaque parochus civilis etiam tunc, si copulatio militaris personae cum sponsa ex statu

---

\*) Istud quidem Universitati Vindobonensi incorporatum est, ast ut appareat, solum respectu directionis studiorum, videatur itaque porro ad militiam stabilem pertinere.

\*\*) (Extra fossas urbis Vindobonensis exteriores situm).

civili per eum peragatur, tantum medietatem taxae legitimae a sponsa exigere potest *a*). Superiores officiales taxam stolarem persolvere obligantur, attamen quod ejusdem quantitatem attinet, juxta latus pro civili clero leges stolares *b*) Sepulturae pertinentium ad militiam stabilem personarum a civili parocho juxta classem infimam peragi debent, nisi testator, ejus haeredes, aut instantia regulandae haereditati destinata conductum altioris classis desiderent, quo casu taxae per legem stolarem civilem pro desiderata classe determinatae peti possunt *c*).

§. 57.

*Regula de proclamatione matrimonii militarium personarum.*

Proclamationes matrimonii personarum ad militiam vagam pertinentium in defectu propriae ecclesiae praesidiariae, in qua proclamatio a Superiori, vel capellano campestri fieri possit, per parochum civilem districtus, in quo sponsus militaris habitat, peragendae sunt, quin aliqua taxa a persona militari exigatur *a*). A Sponsa, si sit

*a)* 19 Mai. 15 Sept. 1808 §. 3. a. Provenientia ex hoc ultimo principio consecutaria sunt in opere de matrimonio I. T. §. 89. p. 379 indicata. — *b)* Ibidem §. 3. b. Itaque amplius non juxta legem stolae militarem, ut per antiquiores constitutions praescriptum erat. Tanto magis civiles parochi occasione copularum ad militiam stabilem pertinentium personarum juxta leges stolae civiles in exigendis juribus stolae se dirigere debent. Quia tamen hic solum de talibus casibus sermo est, in queis civilis parochus militares personas vel in subsidium militaris Sacerdotis, vel jure ordinario copulat: suapte intelligitur in casibus, dum capellanus, aut Superior campestris militares personas matrimonio jungit, semper adhuc militarem stolae legem vigere. — *c)* 19 Mai, 15 Sept. 1808 §. 3. c. —

*a)* Ibid. §. 3 e.

e statu civili, omnino parochus civilis, secundum analogiam a copulatione petitam, medium taxam praetendere potest; quodsi vero illa pariter ad corpus quodpiam militare seu militiae vagae seu stabilis pertineat: taxa proclamati matrimonii nulla praetendi posse videtur, quia solum intuitu sponsae status civilis desumpta a copulatione analogia pugnat.

§. — 58.

*Regula de usu ecclesiae civilis, et ecclesiasticorum requisitorum in functionibus sacris militaris cleri.*

Ubi nulla ecclesia praesidiaria est, ibi Superior, vel capellanus campestris habet jus in ecclesia parochiali, in cuius districtu adseripta suae jurisdictioni militaria individua degunt, parochiales actus baptismi, copulationis, viatici sacri aegrotis porrigendi, benedictiones cadaverum peragendi, quin parochus civilis propterea aliquam stolae taxam poscere queat *a*). Funus pertinentis ad militem vagam personae clerus ipse militaris comitari debet, atque ad id suos proprios adjutores et requisita impendere. Parochia civilis adornandae ejusmodi comitivae funebrali neutiquam se ingredit, et nullas quoque taxes stolares postulet. Si tamen militaris clerus quibusdam ecclesiasticis requisitis parochiae civilis ad id indigeret, pro his in funeribus superiorum officialium vel officiorum militarium determinata in legibus de stola (*civili*) publicatis quantitas ex massa haereditatis persolvenda est *b*); itaque de funeribus officialium inferiorum, et gregariorum nihil dependendum erit.

---

*a)* 19 Mai, 15 Sept. 1808 §. 3. d. — *b)* 19 Mai, 15 Sept. 1808 §. 3. c.

§. 59.

*Notitia susceptorum a civili clero quoad militares personas actuum parochialium Superiori campestri impertienda.*

Civilis clerus sub finem ejusvis anni militaris (mēnsis Octobris), mediantibus Decanis catalogum sive indicem omnium, quoad militares personas susceptorum baptismi, copulationis, et funeris actuum Consistorio submittere tenetur, a quo mediante Gubernio et suprema in provincia armorum praefectura ad Superiorē campestrem perveniet. Iste etiam dandorum de pertinentibus ad militiam vagam personis testimoniorum parochialium, si haec primo post traditos indices expetantur, curam gerere debet a). Imperienda superiori campestri notitia tam militiae vagae quam stabili adnu meratas personas concernit; nam lex de militaribus personis generatim sine isto discrimine loquitur. De pertinentibus ad militiam stabilem personis cleris civilis baptismi, copulationis et mortis testimonia tam ante quam post transmissionem praedicti indicis edere potest; ast de annumeratis militiae vagae individuis solum ante transmissionem indicis, quod ex perpensis legis verbis, atque ex adductis §. 52 constitutio-nibus per se patescit.

---

a) 19 Mai, 15 Sept. 1808. §.



